DE

P. OVIDII NASONIS
ET
A. SABINI EPISTOLIS
DISPUTATIO.

PARS I.

SCRIPSIT
ET
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
AUCTORITATE
PRO VENIA LEGENDI
D. IV. MART. A. MDCCCXXVI.
ILLUSTRIS ICTORUM ORDINIS CONCESSU
IN AUDITORIO IURIDICO
PUBLICE DEFENDET

IOANNES CHRISTIANUS JAHN
STOLZENHAYNA-SAXO
PHIL. DR. AA. LL. M.

ADSCITO AD RESPONDENDUM SOCIO

GEORGIO AENOTHEO KOCH
DREBACENSI
REG. SEM. PHIL. SOD.

LIPSIAE
IMPRESSIT BENEDICTUS GOTTHILF TEUBNER.

Carminum Ovidianorum nullum iniquius tractatum graviusque vexatum est, quam Epistolae, quas Heroidas vulgo appellant. Ab eo tempore enim, quo Ovidii opera edi coepta sunt, his Epistolis varias difficultates moverunt. Quarum nescio an nulla gravior sit et plus momenti habeat, quam quae de plurimarum illarum authentia et vero auctore interpretes exercuit. Etenim illi unum et alterum versum damnare non satis habuerunt, sed septem carmina integra Ovidio abiudicarunt. Atque primum quidem saeculo decimo quinto extremo et decimo sexto ineunte Epistolarum sex posteriorum aut omnes aut tres Ovidii esse negarunt, easque Sabino poetae tribuerunt. Utriusque sententiae fautores plures inde a saeculo decimo septimo exstiterunt, qui etiam dubitationem magis promoverunt. Cum enim illas Epistolas Sabino tribuissent, e contrario Epistolas, quae sub huius nomine in editionibus leguntur, reiecerunt et Augusteo aevo indignas esse dixerunt. Alii denique sex Ovidii carminibus in dubium vocatis addiderunt septimum, et Epistolam Sapphus spuriam habuerunt. Mirari autem licet, quod nullus illorum adversariorum rem latius accuratiusque tractavit et argumentis comprobavit; sed omnes sententiam suam obiter tantum proposuerunt, aut aliorum auctoritati cesserunt. Nihilominus haec opinio ita invaluit, ut plurimi eam indubitatam diuque comprobatam esse putarent. Werferus quidem nostris temporibus eam impugnavit, sed caussam sic egit, ut non totam rem complecteretur sed Ovidii Epistolam decimam quintam et Sabini omnes praetermitteret, adversariorum sententias non accurate examinaret sed obiter tantum reiiceret, ipse denique sententiam proponeret, quae non satis comprobata multis dubitationibus

locum relinqueret. Quae cum ita sint, non alienum esse putavi, eandem materiam retractare, et quid in hac re verum sit, pro virili ostendere. Ut autem, quid absque audacia et temeritate statui possit, clarius appareat, altius rem repetii, neque tantum adversariorum argumenta et sententias examinavi, sed etiam, quid in universum de Ovidii et Sabini Epistolis pro certo colligi possit, hac disputatione qualicunque ostendere studui. Divisi eam in quinque partes, et primum quidem de tempore, quo Ovidii Epistolae primum editae sint, disputavi, simulque, quibus annis Amorum, Artis Amandi et Remediorum Amoris editio adscribenda sit, indicavi. Tum, quae de Sabini vita in comperto habeamus et quas partes ille in Heroidum Epistolis scribendis susceperit, narravi, et Epistolarum eius authentiam defendi. Cum autem huius Epistolarum textus sermone suo viris doctis displicuisset et multis vitiis contaminatus visus esset, carmina ipsa ad veterum editionum fidem recensita addidi, et in commentario subiecto locos depravatos emendavi et iniuria affectos vindicavi. Deinde ad Ovidium reversus, quid de Epistolis sex postremis statuendum sit quaesivi, eas Ovidio asserui et editionis tempus indicavi. Porro Werferi sententiam, qua Epistolas I.—XIV. bis ab Ovidio recensitas esse suasit, examinavi. Denique, cui loco Epistola decima quinta adscribenda sit, ostendi et interpretum dubitationes removi. Quibus omnibus postremo corollarii loco quaestio de universo harum Epistolarum genere, inventore, ambitu et nomine accedet.

C A P. I.

De tempore, quo P. Ovidius Naso Epistolas, Tragoedias, Amores, Artem Amandi et Remedia Amoris ediderit.

Ovidii Epistolae ad ea carmina pertinent, quae poeta iuvenis composuit, quaeque propter argumentum ab amore sumtum *amatoria* dici possunt. Mature ad ea se convertit, atque ab anno vicesimo secundo aetatis usque ad quadragesimum tertium in hac materia versatus aut amoris sensus affectusque descripsit aut eius et parandi et abiiciendi praecepta dedit. Etenim ab anno **732.** u. c. Corinnam amicam celebrare coepit, carminibusque populo innotuit. vid. Amor. III, **1**, **53.** et Trist. IV, **10**, **57.**—**60.** Quorum carminum multa postea delevit, reliqua autem in *Amorum* libros collegit, quibus tamen etiam alia diversi argumenti immiscuit. Priusquam hanc materiam reliquit, *Tragoedias* edidit atque *Epistolas* et *Artem Amandi* scribere aggressus est. vid. Amor. III, **1**, **27.** sqq., II, **1**, **11.** sqq. et II, **18.** His absolutis et editis denique *Remedia Amoris* et haud dubie etiam *Medicamina Faciei* addidit, et anno fere **755.** ab u. c. ad *Fastos Metamorphoses*que se convertit. vid. Trist. I, **7**, **13.** sqq., II, **549.** et III, **14**, **19.** sqq. Ut autem ordinem carminum certo novimus, ita singula poëmata certis annis, quibus edita sint, adscribere difficile est. Qui enim adhuc de his rebus scripserunt, non nisi Artem Amandi et Remedia Amoris certis annis assignarunt, et Epistolarum, Tragoediarum et Amorum tempus in dubio

reliquerunt. Nihil enim nisi ea ante Artem Amandi vulgata esse in comperto habemus. Quae quidem omnia per se ad meam disputationem non pertinent, sed tamen hoc loco propterea praetermitti non possunt, quod Epistolarum editarum tempus ab Amorum et Artis editione, Artis autem editio a Remediis Amoris pendet. Quare primum de Remediis et Arte Amandi, tum de Amoribus et Tragoediis, denique de Epistolis disputandum est.

Remedia Amoris anno u. c. **754.** vulgata esse, optime docuerunt Norisius de Cenotaph. Pisan. p. **248.** et Massonus in Iani templo reserato p. **347.** sqq. et Vita Ovidii p. **123.** sqq. Rem testatus est Ovidius ipse, qui Rem. vss. **155. 156.** scripsit:

Ecce fugax Parthus, magni nova caussa triumphi,
Iam videt in campis Caesaris arma suis.

Indicat autem bellum, quod illo anno a Caio Caesare cum Parthis gestum est. Is enim cum a. **749.** togam virilem sumsisset et princeps iuventutis factus esset, anno **752.** extremo aut **753.** ineunte, aetatis undevicesimo, ad hanc expeditionem se accinxit. v. Vellei. Paterc. II, **100.** et Masson. Iani templ. p. **321.** sqq. Primum autem ad Istrum legionum spectandarum caussa se contulisse videtur. v. Masson. l. c. p. **339.** sqq. Tum per Graeciam et Samum, ubi Tiberius eum convenit [v. Sueton. Tiber. **12.**], in Arabiam profectus tumultus bellicos ibi composuit. v. Plin. H. N. VI, **27. 28.** et Masson. l. c. p. **344.** Anno **754.** in Oriente consulatum iniit et ultra fines extremos populi Romani in Parthorum campis bellum gessit, quod ante annum **755.** medium pace finitum esse recte docuit Norisius l. c. vid. Masson. p. **347.** et **350.** Quam pacem cum poeta non commemoraverit, sed vs. **224.** Parthum *adhuc fugientem* induxerit, Norisius editionem anno **754.** prodiisse non male collegit.

Ars Amandi illo anno iam edita fuit, et Rem. **12.** *praeteritum opus* appellatur; quam tamen poeta ante annum **744.** scribere vix aggressus est. Duobus enim in locis [I, **69.** sqq. et III, **391.** sqq.] Liviae et Octaviae porticus et Marcelli theatrum affert, neque haec monumenta tamquam recentia,

sed nota et diu exstructa describit. Ex quibus in nostram rem maxime facit Marcelli theatrum, quod anno **743.** a. d. IV. Nonas Maias dedicatum esse Plinius H. N. VIII, **17.** tradidit. v. Masson. Vit. Ovid. p. **100.** Fuit autem Romae tertium, unde *trium theatrorum* mentio fit Art. Am. III, **394.** Tempus, quo carmen prodierit, lib. I, **171.—212.** declaratur. Ibi enim poeta mentionem facit naumachiae *modo celebratae*, quam anno **752.** post mensem Juniam actam esse Velleius II, **100.** refert. „*In Urbe, inquit, eo ipso anno, quo magnificentissimi gladiatorii muneris naumachiaeque spectaculis Divus Augustus abhinc annos triginta, se et Gallo Caninio coss., dedicato Martis templo animos oculosque populi Romani repleverat, foeda dictu memoriaque horrenda in ipsius domo tempestas erupit. Quippe filia eius Iulia, per omnia tanti parentis ac viri immemor, nihil, quod facere aut pati turpiter posset foemina, luxuria, libidine infectum reliquit. — — — Iulia relegata in insulam, patriaeque et parentum subducta oculis. Quam tamen comitata mater Scribonia, voluntaria exsilii permansit comes.*“ Augustus hoc anno ab initio ad Kalendas Octobr., Caninius Gallus autem a Kalend. Iuliis ad annum extremum consul fuit. Templum igitur intra menses Iulium, Augustum et Septembrem dedicatum est; idque Kalendis August. factum esse claris verbis testatur Dio Cassius LX. p. **943.** (**667.**) Conf. Bucher. Belg. Rom. p. **82.** In hac dedicatione gladiatorium munus et naumachiam editam esse Velleius innuit. vid. Masson. Vit. Ovid. p. **106.** et Iani templ. p. **324.** et Gierig. ad Ovid. Fast. **598.** Aberrat igitur Norisius l. c. p. **183.** monens: ‘Quamvis Velleius Caninio consule nominato templum dedicatum recenseat, non tamen post Kal. Iulias dedicatio peracta fuit: nam gladiatorium tantum munus ac naumachia eodem consulum collegio signantur, addita postea templi Martis consecratione, ne rem eius anni memorandam omisisse videretur.’ Conf. Masson. l. c. p. **110.** Martis Ultoris festum autem et ludi sollennes postea quotannis a. d. IV. Idus Maias acti sunt. Id testatur Kalendarium vetus apud Gruter. Inscript. thes. p. CXXXIII. et Ovidius Fast. V, **550.** et **597.** Sed Massonus

inde, hoc die templum Martis consecratum ludosque habitos esse, non recte collegit. Conf. Taubner. Indic. ad Ovid. Fast. p. 574. Poeta enim non tempus templi dedicati, sed festum Martis anniversarium describit. Post templi consecrationem Iulia relegata est; quod cum Augusto consule factum esse Velleius narret, post Kal. Augusti et ante mensem Septembrem extremum accidit. vid. Masson. Iani templ. p. 328. et Vit. Ovid. p. 111. — Artis Amatoriae loco Ovidius praeterea de Caio Caesare expeditionem Parthicam parante verba fecit, eumque *euntem* dixit; quo verbo non Roma digressum sed proxime abiturum intellexit. vid. vss. 197. 199. et Masson. Iano p. 329. sqq. Annum igitur 752. extremum aut 753. ineuntem innuit. Post Iuliam relegatam enim Caium missum esse Velleius II, 101. claris verbis indicat. Poeta autem haec non cecinit, cum opus suum inchoaret, sed postea, cum absolutum editurus esset, Augusto blandiendi caussa interposuit [1]). Alioquin enim his ab initio scriptis postea addidisset, quae anno 753. a Caio ad Istrum et in Arabia gesta sunt. Praeterea si ad hos libros scribendos anno 753. ineunte demum aggressus esset, eosdem hoc anno extremo iam edere non potuisset. Vix enim poeta, qui tantum temporis reliquis carminibus suis impendit, hoc poema uno anno absolvit. Id tamen ante annum 754. prodiisse constat. Igitur sub fine anni 752. Ovidius operi absoluto haec interposuit, eodemque fere tempore id publicavit. Contra tamen viri docti editionem ante mensem Septembrem huius anni vulgatam esse statuunt. Negant enim cum Keplero, libros post Iuliam relegatam edi potuisse, 'quod Augusto adulteris ingenti severitate poenas irrogante neutiquam poeta ausus fuisset adulteria ac promiscuos foeminarum amores non tantum laudare verum etiam praecipere.' vid. Bucher. l. c., Noris. l. c. p. 188. et Masson Vit. Ovid. p. 111. Massonus igitur editionem post d. IV. Id. Maias et ante Septembrem factam esse statuit. Sed si Mar-

1) Insignis est enim Burmanni ad Propert. III, 8, 17. error, qui Ovidium anno 752. *Artem Amandi* condidisse, Virgilium autem [qui anno 735 mortuus est] *Georgica* absolvisse monuit.

tis templum et naumachiam supra recte Kalendis Aug. adscripsimus, editio operis in id ipsum tempus cadit, quo Iuliae caussa acta est. Quod Augustum profecto magis offendere debebat, quam si poeta haec postea vulgavit. Accedit quod secundum Velleium Caii expeditio post Iuliam relegatam parata est. Neque illa huius foeminae infamia Ovidium a proposito suo deterrere potuit, cum ex ipsius sententia haec omni Augusti offensione carebant. Scripsit enim I, 31.:

Este procul vittae tenues, insigne pudoris,
Quaeque tegis medios, instita longa, pedes:
Nos Venerem tutam concessaque furta canemus,
Inque meo nullum carmine crimen erit.

Conf. Trist. II, 239. sqq. et 345. sqq. et Pont. I, 3, 49. sqq. Adde Spohn. de Tibulli vita p. 40. sq. Tanta etiam illis temporibus adhuc libertas Romanorum fuit, ut interdum ea, quae Augusto displicerent, dicere et facere auderent. Certe si Ovidius eum tantopere timuit, non apparet, quomodo postea Remedia Amoris, in quibus eandem materiam tractavit et Artem suam commendavit, vulgare potuerit. Quae cum ita sint, Iuliae relegatio non obstare videtur, quo minus hos libros circa annum 753. ineuntem publicatos esse putemus.

In Amorum libris carmina poetae iuvenilia contineri, iam supra p. 3. vidimus. Ad ea scribenda anno fere 732. ab u. c. se convertit, neque ante annum 739. hanc materiam reliquit. Prius enim scripta esse non potest elegia decima quarta libri primi, in qua Sicambros victos commemoravit. Cum illis autem anno 738. bellum gestum et sub fine anni pace finitum est. vid. Masson. Vit. Ovid. p. 92. sqq. et Interpp. ad Horat. IV. od. 1. et 2. Atque si Artem Amandi ante annum 744. non inchoatam esse recte collegimus, neque ante hunc annum Amorum libri absoluti sunt. Ante hoc tempus enim non scribi potuit libri secundi carmen duodevicesimum, in quo poeta, se cum maxime in Arte Amandi componenda occupatum esse, memoriae prodidit. Plura ex huius carminis initio —:

Carmen ad iratum dum tu perducis Achillem,
Primaque iuratis induis arma viris;
Nos, Macer, ignavae Veneris cessamus in umbra —

concludi possent, nisi ignoraremus, quis Macer ille fuerit et quando carmen suum composuerit. Tres enim huius temporis habemus Macros, qui a viris doctis non satis accurate distincti sunt, neque forsitan in omnibus distingui possunt. Inprimis hic Macer, de quo Ovidius verba fecit, cum Aemilio Macro Veronensi confusus est. Adscribam de hac re verba Wernsdorfii in Poett. Latin. minor. T. IV. p. 579., qui de his viris inter omnes optime egit: 'In poetis, qui Ovidii aevo bellum Troianum aut fabulas Homericas carminibus exposuerunt, prae ceteris eminet *Macer*, ob hoc *Iliacus* vocatus ab Ovidio Pont. IV, 16, 6., quem Nic. Heinsius ad Ovid. l. c. duplex poema obsidionis Troianae, sive, ut Heynius Excursu I. ad lib. II. Aen. p. 226. magis definit, Antehomerica et Posthomerica scripsisse ait. Antehomerica testatur Ovidius Amor. lib. II, 18, 1—3. Nam ex iis verbis liquet, carmen illud egisse de coniuratione Graecorum adversus Troiam, et de rebus ad Troiam gestis usque ad iram Achillis, de qua Homeri Ilias. Et eadem Elegia v. 37. Ovidius innuit, Macrum in eo carmine attigisse Paridis adulterium et Helenae raptum, et mortem Laodamiae ob maritum Protesilaum amissum, quae longe ante iram Achillis acciderunt. Alterum Macri opus, Paralipomena Homeri complexum, indicat Ovidius ex Ponto lib. II. epist. 10. ad hunc Macrum scripta, v. 13.:

Tu canis aeterno quidquid restabat Homero,
Ne careant summa Troica bella manu [2]).

2) De Posthomericis nonnulli dubitarunt et vv. *quidquid restabat Homero* de iis, quae ante Achillis iram facta Homerus praetermiserit, intellexerunt. Sed addita verba *Ne careant summo Troica bella manu* ad extremum belli tempus spectare videntur. v. Tychsen Comment. de Quinto Smyrnaeo p. XXXVIII. Mira est autem Richardi Chandleri sententia, qui *τὰ μεθ᾽ Ὅμηρον*, quae Quinto Smyrnaeo tribuuntur, a Macro scripta esse coniecit. v. Tychsen l. c. p. XXII. — Tempus, quo Macer haec carmina scripserit, ignoramus. Ex Ovidii loco autem colligere licet, Antehomerica circa a. 745. composita esse. Ne-

Qua Elegia etiam significat, familiarem eum sibi fuisse, et secum Asiam et Siciliam peregrinando lustrasse, vs. 21.:

Te duce magnificas Asiae perspeximus urbes,
Trinacris est oculis te duce nota meis [3]).

Eundem Macrum fuisse puto, de quo militiam et arma secuto queritur Tibullus lib. II. eleg. 6. [4]). Alium *Ma-*

que multo post Posthomerica addita esse probabile est. Ovidius enim Pont. l. c. ea cum Arte Amandi coniungit et, utrumque carmen eodem tempore factum esse, innuere videtur. Certe non illo tempore, quo Ovidius epistolam ex Ponto ad Macrum dedit (anno circiter 767.), Macrum Posthomerica cecinisse sed iam antea edidisse, verba *Doctrinae pretium triste magister habet* indicant.

3) Hoc itinere Asiam perlustrarunt et praeter alias urbes Troiam viderunt. vid. Ovid. Fast. VI, 417. sqq. Magnam autem anni partem et quidem hyemis tempore in Sicilia manserunt, unde Ovidius Pontic. l. c. vs. 29.: *Hic mihi labentis pars anni magna peracta est.* vide ibi Biman. Alias etiam regiones visas esse apparet e vs. 31.: *Et quota pars haec sunt rerum, quas vidimus ambo.* Conf. Trist. I, 2, 78. Athenisne etiam, quae fuit Massoni Vit. Ovid. p. 49. suspicio, illo tempore fuerint, dubium est. Certe cur poeta in hac epistola huius rei non meminerit, mirari licet. Fecisse Ovidium hoc iter *puerilibus annis* Fast. l. c. testatur. Atque Massonus hoc paullo post togam virilem sumtam, cum ante non solerent peregre proficisci, factum esse non male conclusit. Igitur circa a. 728. — 731., Ovidii XVII. — XX., Roma abfuisse videntur. Anno circiter 732. enim Ovidius Romae fuit et Corinnam celebrare coepit. Macrum autem non solum itineris ducem, sed etiam paene magistrum habuit. Inde vs. 32. canit: *Te mihi iucundas efficiente vias.* Unde, illum aliquot annis Ovidio maiorem fuisse, concludere licet. Sed quominus hoc annorum discrimen magnum fuisse statuamus, impediunt longi convictus aevi vs. 9., studia communia vs. 11., ioci, quos in itinere egerunt, vs. 42. et amoris ardor, qui circa a. 744. adhuc in Macro fuit. v. Amor. II, 18, 39. Quamobrem eum circa a. u. c. 705. natum esse suspicor. Sic enim a. 730. iuvenis viginti quinque annorum et 767. maior sexagenario fuit. — Caeterum Ovidii coniugem tertiam, quam e gente Fabia ortam esse Massonus p. 61. et 215. probabili ratione docuit, necessitudine quadam cum Macro coniunctam fuisse, ex Pont. II, 10, 10. discimus. vid. Masson p. 62.

4) Eandem sententiam proposuerunt Douza ad Ovid. Amor. II, 18, 2. et b. Spohnius in notis mss. ad Tibullum. Posterior etiam, Tibulli elegiam anno 733. scriptam esse, idoneis argumentis probare studuit. Expeditio autem, cui Macrum interfuisse Tibullus testatur,

crum, maiorem natu, Ovidius Trist. lib. IV, 10, 43. laudat:

Saepe suas volucres legit mihi grandior aevo,
Quaeque necet serpens, quae iuvet herba, Macer.

Est hic, qui Aemilius Macer citatur a Grammaticis, et de avibus et serpentibus, et herbarum virtutibus scripsit [5]). Veronensem et amicum Virgilii vocat Servius ad Ecl. V. [6]). Quem diversum a Macro Iliaco quum dudum Douza in Annott. ad Ovid. Am. II, 18, 1. et Heinsius ad Pont. IV, 16, 6. pronuntiaverit, miror admodum, Brouckhusium ad Tibull. II, 6, 1. non agnovisse et Nic. Funccium de vi-

longinqua fuisse et tunc temporis tantum parari coepta esse videtur. Scribit enim vs. 3.:

Et, seu longa virum terrae via seu vaga ducent
Aequora, cum telis ad latus ire volet.

Quare Spohnius haud dubie recte cogitavit de expeditione Parthica, quam Augustus tunc suscepit. Is enim post annum 732. medium, ut omnes ad Syriam usque provincias ordinaret, in Siciliam profectus, anno 733. vergente una cum Tiberio Nerone in Graeciam traiecit. Rebus ibi ordinatis in Samo hiemaverunt et 734. in Asiam perrexerunt. Comites cum iis abierunt Julius Florus, Celsus, Titius Septimius et alii [vid. Horat. Epist. 1, 3. et Weichert de Titio Septimio poeta p. 3.], quibus etiam Macrum interfuisse Spohnius suspicatus est. Fuit autem Macer tunc iuvenis circiter duodetriginta annorum, quod aevum et *militiae* et *tenero Amori*, quo captus erat, optime convenit. Possis etiam ex Ovid. Amor. II, 18, 39. demonstrare, Macrum ab amore non alienum fuisse; quamquam inde, eiusdem amores a Tibullo innui, non sequitur. Vix autem Tibullus ibi intellexit Aemilium Macrum, de quo alii cogitarunt. vide Not. 10.

5) Lemairius ad Ovid. l. c. de uno Macri carmine cogitasse videtur. Scribit enim: 'Aemilius Macer herbas, serpentes et volucres carmine complexus est.' Sed grammatici tria carmina, *ornithogoniam*, carmen *de herbis* et *theriaca* seu *de animalibus venenatis* commemorant. Gyraldus etiam *theogoniam* ex Nonio Marcello addit, haud dubie usus corrupto exemplari, in quo *theogonia* pro *ornithogonia* scripta fuit. Eundem Macrum procul dubio innuit Quinctilianus X, 1., in quo tamen loco de scriptis eius nihil traditur. Caeterum carmen *de viribus herbarum*, quod nunc Aemilii Macri nomine circumfertur, longi inferioris temporis esse, viri docti dudum probarunt.

6) Servius enim in illa Ecloga sub Mopsi nomine Aemilium Macrum latere putavit. vid. ibi Voss.

rili aet. L. L. p. 298. utrosque confudisse [7]). Nam profecto ille Macer, ad quem Naso extremis suis temporibus ex Ponto scribit, quemque a scriptis carminibus Iliacum vocat, is esse non potuit, quem grandiorem natu sibi iuveni carmina sua, plane quidem diversa ab Iliacis, praelegisse narrat [8]), quemque Elegia extrema epistolarum ex Ponto, quia inter aequales et superstites poetas non meminit, tunc iam defunctum esse innuit [9]). Auctor vero est Hieronymus in Chronico Eusebiano, Aemilium Macrum, qui Ornithogoniam et Theriaca scripsit, obiisse in Asia, quo tempore Augustus nepotes suos Caium et Lucium Agrippas adoptavit. Id factum a. u. 737. Caio Furnio, Caio Iunio Silano Coss. [10]). Multo igitur tempore hic ante obiit, quam Ovidius in exsilium eiiceretur, et inde epistolam ad alterum Macrum scriberet. Macrum Iliacum ad Liciniam gentem esse referendum, sicut alter Ornithogonias et Theriacων auctor gentis Aemiliae fuerit, censet Heinsius ad Ovid. IV. ex Pont. 16, 6. [11]). Fuit enim C. Li-

7) Confuderunt etiam Gyraldus, Ger. Jo. Vossius, I. H. Vossius ad Virgil. Ecl. V, 1., Amarus ad Ovid. Amor. II, 18, 1., Lemairius ad Trist. IV, 10, 43. et Pont. IV, 16, 6., Biman. ad Pont. II, 10., Weichert. de Titio Septimio poeta p. 10. etc. De Aemilio Macro vid. Intpp. ad Tibull. II, 6. et Maffei Verona illustr. P. II.

8) Haec carmina igitur circa a 732. iam absoluta erant; contra Iliaca Macer anno circiter 745. demum aggressus est.

9) Utrumque poetam Ovidius etiam accuratius distinguit. Etenim Ornithogoniae auctorem non solum *grandiorem aevo* appellat, sed etiam inter eos poetas enumerat, qui ipsum [*maiores*] praecesserunt, et ante ipsius exilium mortui sunt. v. Trist. IV, 10, 43.—55. Contra Iliacum Macrum inter poetas sibi aequales collocat, exsilii tempore vivum commemorat, et tribus in locis, in quibus eum laudat, praeter Iliaca poemata nullius carminis mentionem facit. v. Pont. IV, 16.

10) Ex hoc mortis tempore colligi potest, hunc Aemilium Macrum in Tibulli loco vix intelligendum esse. Is enim, qui anno 732. grandior aevo fuit et a. 737. obiit, a. 733. tenero amore captus esse et stipendia mereri vix potuit.

11) Haec tamen incerta sunt, et eodem iure hunc Macrum Aemilii filium aut consanguineum fuisse statuere possis. Probabili ratione de vita eius haec tantum proferri possunt: Natus est circa annum u. c. 705. atque Tibullo minor, Ovidio maior et Propertio fere

cinius Macer, orator et historicus celebris Ciceronis aetate, de quo videri potest Vossius in histor. Lat. lib. I. c. 10. p. 45. [12]), cuius gentilem fuisse Macrum belli Troiani auctorem, mihi facile persuadeo, idque ex hoc etiam colligendum censeo, quod Grammatici subinde Macrum citantes Aemilii et Licinii nomina confundunt. Nonius in voce *Prosecta* Licinium Macrum in Ornithogonia citat, ubi sine dubio legendum Aemilius Macer. Contra Priscian. lib. X. p. 895. Aemilii Macri Annalium librum XVI. allegat, ubi Licinius Macer historicus nominandus erat [13]). Referenda adhuc alia sententia est Io. Bapt. Pii Annotatt. poster. cap. 184., qui belli Troiani scriptorem Macrum, ad quem scribit Ovidius, putat esse Pompeium Macrum, quem dicit floruisse sub Augusto, literarum columen et eruditionis quendam veluti thesaurum fuisse, et a Suetonio Iul. cap. 56. his verbis memorari: *Quos omnes libellos* (Caesaris) *vetuit Augustus publicari, in epistola, quam brevem*

aequalis fuit. Idem tamen (ut Propertius) Ovidii amicus et convictor, et cum Fabia, quam tertiam Ovidius uxorem habuit, propinquitate fuit coniunctus. Anno circiter 728. cum illo in Asiam et Siciliam profectus est. Postea redux factus amoribus se dedit, sed anno 733. denuo Roma discessit, et in Asia stipendia meruit. Aliquot annis post (circa 745.) de bello Troiano carmina componere coepit, et primum Antehomerica deinde Posthomerica cecinit. His absolutis otio se dedisse videtur, quo anno 767. adhuc fruebatur.

12) Accuratissime de eo egit Weichertus in Comment. de C. Licinio Calvo oratore et poeta p. 5. —14., ex cuius disputatione haec seligo: Fuit aliquot annis maior natu Cicerone, neque solum Annalium libros scripsit sed etiam orationes forenses edidit. Annalium saltem XVI. libri fuerunt, orationum autem fragmentum apud Priscian. X, 7, 42. ex oratione pro Tuscis exstat. Historicum et oratorem diversum esse, male statuerunt de Brosses in Histoire de la republique Rom. lib. III. c. 74. aliique. Praeterea is C. Macer esse videtur, qui a. u. c. 675. quaestor et 680. tribunus plebis fuit et orationem ad plebem habuit, cuius fragmenta exhibuit Cortius ad Sallust. p. 967. Praetor etiam fuit, et anno 688. a Cicerone repetundarum accusatus faucibus elisis mortem sibi adscivit. Filium habuit C. Licinium Calvum, oratorem et poetam.

13) Conf. Weichert. l. c. p. 5., qui eundem errorem apud Diomedem I. p. 366. recte emendavit.

admodum ac simplicem ad Pompeium Macrum, cui ordinandas bibliothecas delegaverat, misit.' — Apparet autem, ex his, quae de Macro dicta sunt, nihil colligi posse, quo tempus Amorum editorum indicetur. Neque huc faciunt, quae praeterea in Amorum libris de rebus tunc gestis poeta refert, uti *felicia Caesaris arma* **1**, **2**, **51.**, *bellum externum* I, **8**, **40.**, *Aeneidos Virgilianae editionem* I, **15.**, *Caesares* II, **14**, **18.**, *Caesaris templum* III, **8**, **52.**, *Tibulli mortem* III, **9.** etc. Ea enim aut incerta aut priori tempori, quam Sicambrorum victoria, adscribenda sunt. Neque quidquam lucramur, si ad Tragoedias provocamus. Nihil enim nisi eas ante Amores absolutos compositas et editas esse novimus. vid. Masson. Vit. Ovid. p. **116.** sqq. Quamquam autem fortasse non multum a vero aberramus, si eas circa annum **740.** scriptas esse suspicamur, tamen inde ad Amorum editionem non fit certa conclusio. Neque reliqui scriptores quidquam de hac re tradunt, nisi quod Medeam tragoediam, quam forte unam poeta edidit, magnis laudibus efferunt. v. Auctor Dialogi de Orator. cap. **13.** et Quinctil. Instit. lib. VIII, **5.** et X, **4.** Novimus autem, Amores ante Artem Amandi (ante a. **752.**) publicatos esse, quod poeta ipse testatur Art. Am. III, **343.** sq.:

Deve tribus libris, titulos quos signat Amorum,
Elige, quod docili molliter ore legas.

Quo tamen anno Amorum libri prodierint, dubium est, et subsistendum in eo, quod intra a. **744.**—**752.** prodiisse videntur. Sed restat alia difficultas. Ovidius enim his libris praemisit epigramma —:

Qui modo Nasonis fueramus quinque libelli,
Tres sumus, hoc illi praetulit auctor opus.
Ut iam nulla tibi nos sit legisse voluptas, [14])
At levior demtis poena duobus erit. —

14) Sic Nic. Heinsius ex fragm. Reg., cod. Neap. et excerpt. Iuret. et Putean. recte restituit. Vulgo *Ut iam nulla tibi non sit*, in nonnullis libris *Ut non ulla tibi iam sit*, in Maffei. et uno Palat. *Ut iam multa tibi non sit*, in aliis aliter legitur. Notandus est autem

ex quo Amorum libros bis editos esse concluserunt. Primum enim poetam quinque libros publicasse, sed easdem postea recensitas ita castigasse, ut qui secunda vice ederentur, tres tantum supcressent. v. Masson. l. c. p. 93., Werfer. in Actt. Monacens. I, 4. p. 498. etc. Sed dubia tamen illius loci interpretatio est. Nemo quidem accedet Merulae, qui ad Art. Am. III, 345. quinque libros de Arte Amandi et Remediis Amoris, quae illis temporibus in duos libros dividebantur, intellexit. Sed neque illis verbis necessario hic sensus inest: 'Qui olim quinque libri vulgati sunt, nunc ad trium numerum redacti prodierunt.' Possunt enim explicari: 'Naso Amorum carmina in quinque libros collegit eosque penes se habuit; sed antequam eosdem ederet, maluit duos demere et tres tantum vulgare. Ante editionem igitur quinque libri fuerunt, nunc autem tres sunt.' Iam vero si duplicem editionem statuas, pri-

usus voc. *poena*, quod notione nostri *Plage* apud seriores demum occurrit et in scriptoribus Augustei aevi dubium est. Apud Propertium enim I, 10, 17. *Et possum alterius curas sanare recentes*, ubi codd. nonnulli *poenas* exhibent, vulgatam lectionem bene tuitus est Brouckhusius. Conf. Burmann ad Ovid. Ep. I, 20. In Ovidii autem loco *Tlepolemi leto cura novata mea est*, ubi Kuinoelius Animadvv. Critic. in Ovid. Heroid. Spec. I. p. 5. ex cod. Sarrav., Erfurt. et Goth. pr. lectionem *poena* quippe difficiliorem et exquisitiorem praetulit, reliqui libri omnes in lect. *cura* consentiunt, et *poena* fortasse a librario, qui hoc vocabulum pro *anxia cura* dici ex serioribus noverat, glossae loco adscripta est. Diversus est autem locus Trist. II, 507. *Quoque minus prodest*, *poena est lucrosa poetae*, ubi voc. *poena*, quod omnes codd. praeter Iun., qui *plena* exhibet, tuentur, idoneo sensu destitutum et haud dubie ex glossa voc. *crimina*, quod sequenti versu legitur, ortum est. Recte autem Heinsius *scena* reposuisse videtur. Neque huc pertinet Metam. II, 281. *cladem auctore levare*, ubi Gronovius Observatt. II, 9. p. 281. contra librorum fidem ex uno cod. *poenam* praetulit. Neutiquam tamen propter singularem voc. *poenae* significationem in hoc Ovidii epigrammate haerendem est. Haec enim notio tum per se ab hac voce non abhorret, tum a Seneca aliisque confirmatur. vid. Burmann ad Trist. l. c., Kuinoel. l. c. et Gronov. l. c. p. 280. Accedit, quod Ovidius non ita raro aliquantum a scriptoribus, qui ipsum praecesserunt, discedit et ad seriores declinat, ad quam rem nondum satis attenderunt, qui huic poetae interpretando operam dederunt.

mum offendit annorum spatium, intra quod utraque prodierit necesse est. Monent enim Ovidium in his libris recensendis non tam id egisse, ut priorum carminum plura deleret et meliora reponeret, sed ut pluribus recisis ea coarctaret et numero minueret. Quae igitur carmina nunc in his libris leguntur, ea omnia fere etiam in priore editione exstitisse. Inter pauca, quae novae recensioni addita sint, fuisse tamen ea, in quibus sermo sit de Tragoediis, quae post priorem Amorum editionem lucem viderint. v. Masson. Vit. Ovid. p. 116. sqq. Quare Amores primum post annum u. c. 739. et secunda vice ante annum 752. publici iuris factos esse statuunt. Mirari autem licet, quae caussae fuerint, ut poeta intra decem aut duodecim annos, quibus praeterea Tragoediis, Epistolis et Arte Amandi componendis occupatus fuit, haec carmina bis ederet. Etenim in libris denuo recensendis alia erat veterum ac nostratium ratio, quam non satis respicere videntur, qui nostris temporibus ubique duplices recensiones investigare et rimari student. Externae enim caussae in libris, quae non typis sed calamo multiplicabantur, locum non habebant; internae autem in scriptis, quae magis, quam nostro tempore, ἐν ἐνθουσιασμῷ composita et ante editionem diu multumque emendata et limata erant, non facile adesse poterant. Veteres auctores igitur scripta sua tum demum mutasse et emendasse videntur, cum illa aut, ut tragoediae et comoediae, diversis temporibus coram populo recitarentur et pro diversa temporum ratione mutari deberent, aut, ut Apollonii Rhodii Argonautica, prima editione plausum non tulissent. Prior caussa ad Amorum libros non pertinet. Posterior si adfuisset et poetam ad carmina recensenda commovisset, id ille profecto non tam breviter et obscure, quam illo epigrammate fecit, indicasset. Fuerunt quidem, qui Ovidii carmina vituperarent; sed illi non tam tractandi rationem quam carminum argumentum et materiam reprehendisse videntur. vid. Amor. I, 15. et Rem. 391. sqq. Neque probabile est, poetam, qui tam graviter in reprehensores suos invehitur, qui ne amicorum quidem monitis ad carmina leviter emendanda adducebatur sed

naevos in iis amabat, illorum vituperiis ita deterritum esse, ut totum carminum opus denuo incudi imponeret. Ut autem emendationis caussam nullam habemus, sic neque ullum huius rei testimonium praeter illud epigramma, quod dubiae interpretationis est, nobis innotuit. Si vero poeta quinque libros edidit, vix dubitari potest, quin illi in multorum manus venerint, et multis exemplaribus descripti et propagati sint. Offendimur igitur, quod inter tot codices msc., quibus secunda editio ad nos venit, nullus repertus est, qui primae vel levissimum vestigium minimumque fragmentum exhibeat. Magis miramur, quod Seneca, Quinctilianus aliique, qui nimium ingenii impetum et materiae ubertatem haud raro in Ovidio reprehenderunt, nusquam diligentem curam laudarunt, quam ille in Amorum libris bis edendis adhibuit. Eorum enim tempore prior editio profecto nondum ita obolita esse potuit, ut eam ignorarent. Maxime autem mirationem facit, quod Ovidius, qui tam libenter de carminibus suis gloriatur, praeter illud epigramma nunquam prioris editionis mentionem fecit [15]). Quamvis enim in iis locis, in quibus commoda commemorandi opportuitas fuit, non haeream, sunt tamen loci, in quibus illius mentio vix ac ne vix quidem praetermitti potuit. Eiusmodi locus est Art. Am. III, 339. sqq., ubi in lectione poetarum commendanda suos libros enumerat, sed aperte tres tantum Amorum libros laudat neque alteram editionem, quae tamen magis quam Epistolae ad rem faciebat, verbo commemorat. — Has igitur ob caussas quinque librorum editionem reiiciendam esse censeo, neque Ovidium illo epigrammate aliud quid-

15) De priori editione non intelligi potest Amor. lib. III. eleg. I., in qua poeta se iam ante hanc elegiam carminibus amatoriis innotuisse, testatur. Quamvis enim illa verba per proiepsin dicta non accipiamus, tamen editionem carminum non confirmant. Etenim Ovidius, etiamsi horum carminum volumina nondum vulgaverat, Amorum poeta innotuisse potuit, quod ex illius temporis ratione et mutuo poetarum commercio facile intelligitur. Conf. Am. II, 18. Poterant etiam singula carmina in populum evasisse, quod fortasse Amor. III, 1, 53. indicavit. Conf. Trist. IV, 10, 57.

quam dixisse puto, quam quod Trist. IV, **10**, **61.** sqq. innuit:

Multa quidem scripsi; sed quae vitiosa putavi,
Emendaturis ignibus ipse dedi.
Tunc quoque, cum fugerem, quaedam placitura cremavi,
Iratus studiis carminibusque meis.

Severam igitur castigationem et censuram indicat, qua iuvenilia carmina, antequam edidit, limavit. Ex qua censura explicandum est, quod horum carminum series ita interrupta et turbata est, ut plurima certo tempori et ordini adscribi nequeant; quamquam ea non eo, quo nunc leguntur, ordine scripta esse apparet. Transposita sunt a poeta eodem modo, quo Horatius, Virgilius, Tibullus, Propertius aliique carmina sua alio, quam scripserant, ordine ediderunt. Sed Ovidius praeterea plurima carmina delevit, et, ut ne de ordine eorum certi quid statuere possimus, effecit. Acquiescendum est igitur in eo, quod Amores intra a. **744.**—**752.** vulgati sunt, iisque Tragoediae praecesserunt.

Eodem tempore, quo Ovidius Artem Amandi canere coepit, *Epistolis* quoque scribendis operam dedit. Refert enim Amor. II, **18**, **19.**:

Quod licet, aut artes teneri profitemur Amoris –
Hei mihi, praeceptis urgeor ipse meis. –;
Aut, quod Penelopes verbis reddatur Ulixi,
Scribimus, aut lacrimas, Phylli relicta, tuas;
Quod Paris et Macareus, et quod male gratus Iason
Hippolytique parens Hippolytusque legant;
Quodque tenens strictum Dido miserabilis ensem
Dicat, et Aeoliae Lesbis amica lyrae.

Scripsit igitur eo tempore, quo pleraque Amorum carmina dudum composita sed nondum tribus voluminibus in lucem edita fuerunt. Scripsit etiam post Tragoedias editas, quas Amorum editionem praecessisse vidimus. Annus autem, quo publici iuris factae sint, incertus est. Sed eas ante annum **752.** absolutas et vulgatas esse, Ovidius affirmat Art. Am. III, **345.**:

Vel tibi composita cantetur epistola voce:
Ignotum aliis ille novavit opus.

Videntur igitur cum Amorum libris fere eodem tempore prodiisse. Quod autem Massonus l. c. p. **95.** eas ante secundam, quam statuit, Amorum editionem vulgatas esse putavit, id certe ex Amor. l. c., quem attulit, non sequitur. Immo poetam tunc, cum illam elegiam ad Macrum daret, in Epistolis scribendis cum maxime versatum esse, verborum nexus et voc. *Scribimus* satis docent. Atque res ipsa et carminum historia aliam rationem suadent. Cum enim circa a. **744.** Amorum elegiae nisi omnes certe pleraeque absolutae fuerint, citius profecto et facilius, quam Epistolae paullo ante inchoatae, vulgari potuerunt. Vix autem auctor utrumque poema uno tempore et anno edidit, sed altero absoluto alterum confecit et limavit. Qua de caussa illa opera neque proxime ante a. **752.**, cum in Arte Amandi componenda poeta otium suum consumeret, Romanis tradita esse probabile est. Nescio igitur, an non multum a vero aberret, qui anno **745.** aut **746.** Amorum libros et a. **749.** aut **750.** Epistolas editas esse sumserit.

CAP. II.

De A. Sabino eiusque Epistolis.

Illo tempore, quo Ovidius Epistolas suas componebat, Sabinus quidam eandem materiam ita tractavit, ut foeminis, quas ille scribentes induxerat, virorum nomine responderet. Pergit enim Ovid. Amor. II, 18, 27:

Quam celer e toto rediit meus orbe Sabinus,
Scriptaque diversis retulit ille locis.
Candida Penelope signum cognovit Ulixis;
Legit ab Hippolyto scripta noverca suo;
Iam pius Aeneas miserae rescripsit Elissae,
Quodque legat Phyllis, si modo vivit, habet;
Tristis ad Hypsipylen ab Iasone littera venit;
Det votam Phoebo Lesbis amata lyram.

Fuit igitur Sabinus eiusdem illius temporis poeta, de quo tamen praeter Ovidium nemo veterum quidquam memoriae prodidit; quare paucissima tantum de vita eius constant. In editionibus antiquissimis [Venet. 1486. et 1492.] ante tres quae nunc exstant epistolas illius haec leguntur: 'A. Sabinus, eques Romanus celeberrimus vatesque, Nasonis temporibus floruit. Qui has omnes responsorias et alias edidit, quae non reperiuntur.' Ex codicibusne mss. primi editores haec sumserint, an ipsi finxerint, incertum est. Tenendum tamen, praenomen *Auli* et *equitem Romanum*, quem esse voluerunt, nullo veterum testimonio comprobari. Dubium est etiam, num sub alio Sabino, qui illo aevo commemorantur, poeta noster lateat. Cicero Epist. ad Attic. XIII, 14. anno u. c. 708. Albii Sabini mentionem fecit, qui tamen tempore a nostro distare vi-

detur. Horatius autem Epist. I, 5, 27. Sabinum quendam puellarum epularumque amantem affert, de quo Bothius notat: 'Sabinus ille esse creditur Aulus Sabinus, poeta non ignobilis, cui quidam tribuunt elegias aliquot heroicas, quae inter Ovidii leguntur.' Eadem fere ibi tradiderunt Dacier. et Sanadon., sed quo coniecturam firmarent non habuerunt. Probabilior esse videtur Wiclandii suspicio, qui in Horatii loco intellexit Sabinum Tironem, quem κηπουρικὰ scripsisse et Maecenati dedicasse Plinius H. N. XIX, 10. narrat. Plures etiam Sabinos Seneca rhetor commemorat, ex quibus C. Clodium Sabinum declamatorem harum Epistolarum auctorem esse, Crinitus, Pontanus aliique statuerunt. Sententiae argumenta non attulerunt, et nescio an non habuerint aliud, quam quod apud Senecam simul Aurelius Fuscus et Portius Latro, qui Ovidium artem rhetoricam docuerunt, memorantur, iisque additur Iulius Montanus, quem Ovidius Pont. IV, 16, 11. una cum Sabino inter poetas sibi aequales enumerat. Illorum auctoritate abductus Godofr. Ephr. Müller. histor. krit. Einleitung zu nöthiger Kenntniss der alt. lat. Schriftsteller Tom. IV. p. 63. Aulum Clodium Sabinum finxit, qui, in poeseos et artis rhetoricae studio Ovidii socius, has Epistolas scripserit, et aeque atque ille magis in poesi quam in arte oratoria excelluerit. Sed haec omnia incerta sunt, et recte his non accessit Burmannus, qui ad Ovid. Pont. IV, 16, 15. notat: 'Crinitus eum *Claudium* vocat lib. III. de Poett. 64. qui a Seneca rhetore saepe memoratur. et ita Pontanus et alii. Sed *Aulum Sabinum* Heinsius et alii appellarunt. Mihi nihil de eo constat.' Sed quisquis ille fuerit, Ovidio tamen amicitia coniunctus et aetate haud dubie aequalis fuit. Immatura autem morte obiit, quod testatur Ovidius Pontic. l. c.:

Et qui Penelopae rescribere iussit Ulixen
Errantem saevo per duo lustra mari,
Quique suam Troezena imperfectumque dierum
Deseruit celeri morte Sabinus opus.

Praeter Epistolas igitur alia scripsit, de quibus tamen propter ambiguam versus tertii et lectionem et interpretationem

certa sententia proferri nequit. In voc. *Troezena* enim variant libri mss. et plerique *Troezen* aut *Trisemem* vel *Trisenen* exhibent; neque inter viros doctos constat, quale aut hoc aut dierum opus fuerit. Notavit autem Micyllus ad Ovid. l. c.: 'De hoc loco nihil certi habeo, quod sentiam, nisi quod multis nominibus suspectus mihi est. Nam sive legas *Trisenen*, quod in quibusdam reperiri Merula auctor est, ipsa vox insolens est, et neque cum Graecis, neque cum Latinis nominibus satis convenit. Cum tamen probabile sit, eam, quam poeta, de quo hic dicitur, amavit, Latinum aut Graecum aliquod nomen habuisse. Sive vero *Troezen*, ut de poematis aut urbis nomine intelligatur, etiam hoc exemplo caret. Nam si de opere intelligendum sit, *Troezenis* dicendum fuerat, recto casu, perinde ut *Amazonis*, *Phaeacis*, *Theseis* et similia. Sin autem de loco, accusativus *Troezena* futurus erat, a Troezen: non *Troezen* a Troeze: qui nominativus nusquam legitur de eo loco, quem Theseus aliquando tenuit. Deinde autem ut demus, Sabinum poetam Fastorum opus et Trozenida aliqua (?), hoc est, de rebus circa Troezenem gestis, imperfecta reliquisse, praeventum morte scilicet, quod tamen alibi nescio an usquam manifesto tradatur: quid caussae dicemus, cur poeta, cum de ceteris, singulis tantum versibus meminerit, de quibusdam vero etiam singulis commatibus: neque in cuiusdam alterius commemoratione distichum egressus sit: de hoc totum tetrastichon consumpserit? Equidem ut liquido fatear, non solum superiora illa, de quibus modo diximus, sed et ipsum proprium in posteriore pentametro positum propemodum tamquam supposititium ac nothum suspectum habeo. Sunt tamen rursum, qui repudiato utroque nomine, pro *Trisene* legunt *Troezoena*, accusativo casu a *Troezen*, hoc titulo sive nomine opus quoddam a Sabino coeptum fuisse sentientes.' Libri mss. multum variant, et praeter illas lectiones praebent: *Troiam*, *Troien*, *Troicem*, *Troizem*, *Traecen*, *Troilen*, *Tromien*, *Trocrem*, *Trisam*, *Crozimen*, *Tumesen*, *Timeson*, *Troadem*, *Trezenem* etc. Temerarius autem fuit Micyllus, qui utrumque versum spu-

rium habuit. Poterat enim Ovidius in Sabino, cui maxime familiaris fuit, diutius morari. Neque *Sabini* nomen deesse potest, praesertim cum poeta in reliquorum poetarum aequalium nominibus recensendis tam diligens fuerit. Sin autem hoc distichon Ovidii non est, unde ortum sit, non apparet. Nullus alius scriptor enim de his Sabini operibus, quae numquam edita sunt, quidquam tradidit, nec seriores habuerunt, cur et unde hos versus fingerent. Locus igitur haud dubie corruptus sed non spurius est. Quid reponendum sit, non liquet. Müllerus l. c. p. 63. lectionem *Troiam* praetulit, et Sabinum carmen de bello Troiano inchoasse suspicatus est. Sed est haec lectio facilior, quam quae tot corruptelis locum dare potuerit. Contra Bimanus et Crispinus tragoediae nomen in his latere putaverunt. Alii de carminibus elegiacis, quibus puellae amores cecinerit, cogitarunt. Contra Crispinus monuit: 'Imperfectum reliquisse Sabinum fato praeventum testatur Naso: Ex quo aliquid maius esse satis intelligitur.' Atque si carminis nomen latet, utique de carmine epico aliove maioris ambitus cogitandum esse videtur. Sed additum pronomen *suam* me adducit, ut credam, poetam hoc vocabulo Sabini amicam indicasse, cui ille immatura morte ereptus sit. Sensus autem esset: 'Sabinus celeri morte et amicam suam et opus dierum imperfectum deseruit.' Lubens igitur accederem Heinsio *Tymelen* corrigenti, nisi hoc nomen a codicum lectione nimis discederet. Puellae tamen nomen latere suspicor. *Dierum opus*, quod poeta subiungit, vel *fastos*, quales Ovidius ipse scripsit, vel carmen *georgicon*, quale Hesiodi ἡμέραι, interpretantur. Mihi posterius intelligendum esse videtur; quamquam non multum repugnem, si quis contrarium intellexerit. Omnia enim in his incerta sunt. Certiores sumus de Epistolis, quas Ovidius priore disticho innuit et Amorum loco cit. latius descripsit. Commemoravit autem sex Epistolas, Ulixis ad Penelopen, Hippolyti ad Phaedram, Aeneae ad Didonem, Demophoontis ad Phyllidem, Iasonis ad Hypsipylen et Phaonis ad Sappho-

nem [1]). Nemo autem putabit, Sabinum eas tantum, quas Ovidius commemoravit, Epistolas scripsisse. Nam sive illo tempore, quo haec elegia ad Macrum data est, revera Sabinus eas tantum, quae citantur, Epistolas scripsit et postea plures addidit, sive Ovidius cum suarum tum Sabini Epistolarum nonnullas tantum, ut genus indicaret, enumeravit, plures Sabini exstitisse vel Paridis responsio, quae nostram aetatem tulit, satis confirmat. Atque procul dubio Sabinus omnibus Epistolis, quas Ovidius tunc scripsit, respondit. Composuit autem eodem tempore, quo Ovidius huic carminum generi operam dedit, et sine dubio singulas illi misit: quare utriusque Epistolas nisi uno volumine certe uno tempore editas esse non temere suspiceres. Inter annos **744.—750.** igitur Sabinus in flore aetatis fuit, et responsionibus suis unice occupatus post hoc tempus demum alia poemata, sive duo sive unum, exorsus est. Atque eum certe nonnullos annos post Epistolas editas adhuc in vivis fuisse, nova carmina, quae aggressus est, docent. Quo anno diem supremum obierit nescimus; sed id ante Artis Amandi editionem et annum **753.** non factum esse maxime probabile est. Idem tamen ante Ovidii relegationem (a. u. c. **762.**) mortuus esse videtur; alioquin ille amicissimi viri mortem procul dubio in Tristium aut Ponticarum Epistolarum libris deflevisset.

Sabini Epistolarum vero non ea, quae Ovidianarum, fuit fortuna. Pleraeque enim deperditae sunt, et nostram aetatem tres tantum viderunt. Quae tamen restant, virorum doctorum suspicionibus et dubitationibus ita vexatae sunt, ut mirari liceat, quod Sabini nomen adhuc in fronte gerant. Etenim iam a saeculo decimo sexto p. Chr. n. ineunte spuriae et Sabino indignae habitae sunt. Agmini praeivit Aldus Manutius, qui in edit. **1502.** post Ovidii

1) Male Ger. I. Vossius de poett. Lat. p. 33. ex verbis *det votam Phoebo Lesbis amata lyram* collegit, Sabinum Sapphus Epistolam scripsisse. Poeta in Amorum loco suam Epistolam XV, 181. respexit, et Franckius in Addendis ad Callinum *det* recte interpretatus est: *iniquo amatoris responso cogatur dare.*

Epistolas [Tom. IV. p. 128. Opp. Ovid. Burmann.] haec monuit: 'Sabinus poeta Ovidii temporibus scripsit Epistolas, quibus Ulysses Penelopae, Hippolytus Phaedrae, Aeneas Didoni, Demophoon Phyllidi, Iason Hypsipylae, Phaon Sapphoni respondent. Sed non exstant. Nam tres hae quae habentur, mihi non modo non videntur Sabini, sed ne excellentis quidem cuiusquam poetae.' Atque in fine voluminis idem Aldus addidit: 'Diximus superius Sabini Epistolas, de quibus in Amoribus Ovidius meminit, non exstare: tum quae Sabino inscribuntur, non modo videri mihi non fuisse Sabini, sed ne egregii cuiusquam poetae. Idem et hic confirmamus.' Secutus est Dan. Heinsius, qui ad Ovid. Heroid. init. notavit: 'Sabino quae adscribuntur [Epistolae], ita languent, ut ne hac aetate quidem scriptas ferre possem. In quibus et obscuritas et manifestus in scribendo defectus, sive ut Graeci significantius loquuntur, ἐν τῇ ἑρμενείᾳ ἀσθένεια elucet.' Accessit Ger. Io. Vossius de poett. Lat. cap. 2. p. 33.: 'Scio sub nomine Sabini legi ternas, Ulyssis ad Penelopen, Demophoontis ad Phylliden et Paridis ad Oenonen. Sed indignae prorsus Sabino, vel aliquo illius temporis poeta: quin neque nostro si aevo scriptae forent, multum laudis mererentur.' Idem statuerunt Dacier. et Sanadon. ad Horat. Epist. I, 5, 27. Denique Burmannus ad Sabin. Epist. I, 10.: 'Plura in his Epistolis duriora et vere scabra occurrunt, quae fere efficiunt, ut de Sabino auctore dubitem.' Illorum auctoritate decepti sunt alii plurimi, qui has Epistolas indicta caussa damnarunt. v. Ruperti Grundriss der Geschichte — der Römer p. 805., Becher ad Ovid. Epist. X. p. 16. etc. Nostris tamen temporibus rem retractavit Amarus, qui ad Sabin. Epist. I. scripsit: 'Litem hanc lector quo dirimat facilius, suam Epistolae cuique responsionem subiecimus, quae vulgo ad voluminis calcem iubentur exulare.' Atque ad Epist. III. addidit: 'Lectorem, credo, satis superque instruximus, ut, perpensis diligenter utrimque caussis, pronuntiet nunc, iudex legitimus, utrum hae tres Epistolae, quae trecentis et amplius abhinc annis sub A. Sabini nomine circumferuntur, genui-

num sint, an adulterinum huius poetae opus. Si quis adhuc dubitandi locus, perlectis Ulixis et Demophoontis responsionibus, (ubi, licet rerum sint inopes, nec ullo fere sententiarum lumine illustrentur, enitent tamen nonnulla, quae Ovidio tribuas non iniuriose) solvitur hic [tertia Epistola] omnino difficultatis nodus. Quid enim in hac ultima deprehendas, quod Ovidium, vel a longinquo, referat; sive res ipsas, sive, qua efferuntur, verborum vim spectes et elegantiam? Scribentem haec non fallit, viros esse litteratos, quorum grave mihi et appetendum iudicium, qui non sic existiment; et nonnullo in pretio *Sabinianas* (quas ego *Heinsianas* melius dixerim) Epistolas habeant; nec ita parvi ducant faciendas, quae Heinsium vicissim et Burmannum, nuperrime Lennepium exercuerint. Sed hoc ipso, meo quidem sensu, comprobatur, quam foedae, quam pravae e prelo primum exierint, quum vix tantorum medicorum ope collata resanuerint. *Vix* dico, et iure quidem: quot enim, tot iam feliciter emendatis, supersunt emendanda, ut ad Ovidium, iusto semper intervallo, aliquando accedant! Ceterum, quid de ea re sentiam, libere et ex animo protuli, concessa, ut decet, aliis aliter sentiendi facultate.' — Iam vero duo potissimum argumenta fuerunt, quibus has Epistolas damnarent, alterum quod omnis tractandi ratio ieiuna et manca, alterum quod verborum nexus et orationis color plurimis in locis parum elegans et Latinus sit. Potuissent addere tertium, quod ab incipiente saeculo XVI. nemo codicem harum Epistolarum manuscriptum vidit, atque unde haec carmina in editionem Venetam 1486. primum venerint ignoramus. Quatuor enim libri, quos Bersmannus ad Epist. III, 92. commemoravit, editiones sunt, et liber ms., quem Swarthius et Casp. Barthius habuisse dictitarunt, fictus est et horum virorum coniecturas continet. Id non solum docent lectiones, quas inde protulerunt, mirae illae et maxime a vulgato textu distantes, sed confirmat etiam Nic. Heinsius ad Epist. I.: 'Nullos libros videre mihi contigit manu exaratos, in quibus hae exstarent Epistolae. [Conf. Heinsii Epist. ad Gro-

nov. 273. in Sylloge Burm. Tom. III. p. 335.] In primis etiam editionibus desiderantur. Nec satis constat, cui gloriam inventi huius thesauri debeamus. Suspicor tamen idem exemplar, quod Cydippes ac Sapphus Epistolam integram nobis servavit, et Paridis auctiorem, usibus etiam his publicis consuluisse. Eustathius quidem Swarthius in Analectis. lib. I. cap. II. exemplar calamo descriptum Epistolarum Sabini ad partes interdum vocat, quod Casparis Barthii fuerit, eiusdemque ipse Barthius in Adversariis subinde mentionem facit. Sed cum et hunc et illum, dum in vivis essent, per amicos rogarim, ut usum istius libri mihi praestarent, et alter me ad alterum ablegarit, facile intellexi, vanam a me spem foveri. Nec tanti sane sunt, quae ex illo, si diis placet, vetusto codice ab iis promuntur, ut salivam nobis de ipso libro evolvendo excitare debeant.' — Contra has virorum doctorum dubitationes facile proferri possent aliorum, ut Scaligeri, Nic. Heinsii, Cuperi, sententiae, quibus, sibi has Epistolas genuinas esse videri, professi sunt. Sed hoc modo res non ad liquidum perducitur, et potius, quid contra illa argumenta dici possit, videndum est. Sabinum Epistolas responsorias scripsisse certum est, et ex tribus, quae sub eius nomine supersunt, duae priores etiam titulo cum iis, quarum Ovidius meminit, consentiunt. Atque quamquam codicibus mss. harum epistolarum auctor probari nequit, in editione principe tamen sub Sabini nomine leguntur. Neque ab illo editore haec carmina ficta esse videntur. Partim enim fingendi nulla caussa fuit, inprimis cum illo tempore iam invaluerat sententia, ex sex postremis Ovidii Epistolis nonnullas a Sabino compositas esse; partim ipsae Epistolae meliores et elegantiores sunt, quam quae saeculo decimo quinto p. Chr. n. a quoquam scribi potuerint. Neque impostor ille, si quisquam fuisset, alias Epistolas, quam quae ab Ovidio memoratae erant, finxisset, atque haud dubie Epistolam tertiam non composuisset. Quare auctor editionis principis procul dubio haec carmina e codice manuscripto sumsit, in quo Sabini nomen prae se ferebant. Neque has Epistolas medio, quod

dicunt, aevo fictas esse, sermonis elegantia, qualiscumque est, satis comprobat. Prioribus autem temporibus Sabini Epistolae haud dubie superfuerunt, ut ne novae et spuriae illis supponi possent. Accedit quod Ovidius non tanti a Romanis aestimatus est, quem in scriptis suis imitarentur, cuique nova carmina supponerent. Quae enim spuria sub huius nomine circumferuntur, longe inferioris aevi sunt. Si vero Romani ab Ovidii imitatione se abstinuerunt, in Sabino, qui ipse iam Ovidii imitator fuit, id magis etiam fecerunt. Sicuti autem, has Epistolas a quopiam fictas esse, per se non probabile est, ita etiam reliqua argumenta hanc suspicionem non confirmant. Quod enim horum carminum tractationem et materiam ieiunam et mancam esse dicunt, id vim tantum haberet, siquidem alia Sabini carmina superessent elegantiora et sententiarum luminibus illustriora, quam quae cum his congruerent. Nunc autem in iis rerum inopiam et sermonis tenuitatem tantam sibi sumant, quantam volunt; inde tamen nihil nisi Sabinum ieiunum poetam fuisse sequitur. Recte enim Iul. Caes. Scaliger in poetic. lib. VI.: 'Tres Epistolae Ulyssis, Demophoontis, Paridis sane parvi sunt momenti; quas propterea qui negant Sabini esse, si Sabinus quantus fuerit nesciunt, quonam pacto negare audeant? Non meminere illo quoque saeculo exstitisse Marsos, Suffenos, Volusios, Bavios, Maevios, Anseres. Cassii quoque Parmensis scripta minus accurata fuisse prodiderunt.' Toto coelo autem aberravit Amarus, qui Ovidii carminibus Sabini ingenium metiri voluit. Atque tenuitatem et mediocritatem eius id ipsum, quod imitatoris partes egit, comprobare videtur. Neque obstat, quod Ovidius Pont. IV, 16. Sabinum inter eos enumerat, quos invidi obtrectatores laceraverint. Commemorat enim ibi etiam alios, qui poetica facultate non magnopere excelluerunt. Atque ut isti Sabinum iure meritoque vituperaverint, Ovidius tamen eum, qui prae ceteris sua carmina maximi fecerat, laudare debuit. Omnino autem in Sabini Epistolis non tantus orationis defectus et rerum inopia est, qnantum illi volunt. Quamquam enim cum

Gisb. Cupero in Epist. ad Heins. 406. Tom. II. p. 686. stili Sabiniani elegantiam laudare nolo, nimiam mediocritatem tamen agnoscere non possum. In qua re assentientes habeo Nic. Heinsium, Fr. Heusingerum aliosque. Bene etiam Ephr. Müllerus l. c. p. 63. monuit: 'Dan. Heinsius hält die Briefe für unächt; denn sie sind ihm dunkel und kraftlos. Mir scheinen sie ziemlich fein zu seyn. Es kommt in kritischen Zärtlichkeiten ohnediess meistentheils auf die Einbildung an.' Quid, quod Georgio Schülero haec carmina ita placuerunt, ut in Sabini honorem semet ipsum Georgium Sabinum appellaret? Praeterea viri docti non satis ad id attenderunt, quod res ipsa, quam poeta tractavit, ieiunitatem quandam necessario attulit. Argumentum enim, quod sibi elegit, postulavit, ut Ovidii vestigia sedulo premeret atque in finibus ab illo praescriptis se contineret. Sterilem igitur materiam habuit, quae omnem liberius se movendi et poeticam facultatem ostendendi occasionem et opportunitatem praeclusit. Nihilominus ille non anxie Ovidium secutus, qui est mos hominum ingenio carentium, quasi verbum verbo expressit, sed ingenium poeticum eo ostendit, quod illius universam sententiam quidem respexit, singula tamen suo more sic tractavit, ut denique nihil, in quo cardo rei vertitur, omiserit. Maxime id, quantum equidem intelligo, in Epistola tertia declaravit, quam Amarus, cum magis quam duae priores ab Ovidii sententiarum ordine discedat, omnium pessimam esse putavit. Etenim Ovidius Oenonen eo tempore scribentem induxerat, quo Paris cum Helena e Graecia redux factus et Troiae regis filius agnitus magno honore fruebatur. Nympha autem in Epistola sua id maxime urget, quod nihil commisserit, quapropter a Paridi deseri potuisset, et quod in omnibus Helenae praestet, cum prior eum ignobilem amaverit, popularis et magis fidelis sit et nullum periculum afferat. Preces etiam addit, atque se etiam laesam Paridem amare testatur. His autem a Paridi, qui ad Oenonen redire noluit, responderi profecto difficile erat. Vide autem, quam acute et prudenter Sabinus se expediverit. Paris Oenones Epistolam paucis re-

spicit et omnibus concessis se reum confitetur. Sed duo maxime urget, alterum quod amor ratione careat, alterum quod suus Helenae amor fatis adiutus sit. Propterea tam multis verbis Amoris potentiam describit, ut nimius etiam in hanc rem exspatiatus sit. Inde etiam comprobat, suum Helenae ardorem tantum esse, ut ne Oenone quidem magicis viribus ei mederi possit. Felici autem et Ovidio digna ratione initio Epistolae se peccasse fatetur, callide vs. 29. Oenonen ad opem ferendam inducit et ingeniose vs. 79. in amore non mutabili describendo ad ipsam provocat. Mihi quidem in hac Epistola nihil vituperandum esse videtur, nisi quod auctor in Amoris potentia indicanda nimis verbosus fuit, quod tamen ipsa, quam ingressus est, tractandi via satis excusationis habet. Si autem omnium Epistolarum pessima tam idonea ratione composita est, videant adversarii, qua probabilitate reliquas Sabino indignas esse statuant. Gravius autem argumentum est, quod ab oratione, quae in his Epistolis saepenumero scabra et parum Latina sit, repetierunt; quamquam ne hoc quidem carminum authentiam impugnat. Etenim non in omnibus sermonem horum carminum ab Augusteo aevo abhorrere dicunt, sed in nonnullis tantum haerent. Ipsi etiam plura enitere fatentur, quae Ovidio non iniuriose tribuas. Accedit, quod in multis locis sine iusta caussa haeserunt, quorum plura iam Burmannus, Fr. Heusingerus et Lennepius vindicarunt, alia ego in editione carminum vindicare studui. Qui autem restant loci dubii, plerique ita depravati sunt, ut sensu omnino careant, atque etiam infimae Latinitatis auctore indigni sint. Quae quidem exempla nihil impediunt, quo minus Epistolas a Sabino compositas esse putemus. Recte enim Fr. Heusingerus in Emendatt. Guelferb. p. 11. monuit, gravissimos labes, quibus haec carmina deturpata sint, non ab illorum auctore sed ab imperitia ac negligentia librariorum adspersos calumniisque inconsiderate iudicantium expositos esse. Recte etiam in his Augustei aevi splendorem agnovit, quem Nic. Heinsius plurimis

in locis ita restituerit, ut Epistolae poeta Nasonis aemulo dignae rursus viderentur. Conf. Heins. ad Epist. III, 91. Argutatus est autem Amarus, qui propter locos Heinsii coniecturis sanatos Epistolas Heinsianas quam Sabinianas dicere maluit. In tanta enim subsidiorum criticorum penuria foedae illae depravationes aliter ac coniecturis vix removeri poterant. Neque his universus horum carminum color pessum datur, sed pauca tantum leviter mutantur. Plurimae enim emendationes, quae in has Epistolas a viris doctis scriptae sunt, superfluae et magnam ad partem inde ortae sunt, quod illi in carmine passim corrupto ingenium ostendere voluerunt, neque editiones principes, quae unicae verum emendandi fontem ostendunt, satis respexerunt. Id quod nemini mirum videbitur, qui harum Epistolarum historiam paullo accurratius cognoverit. Prodierunt enim ex veteri codice manuscripto, qui nunc nisi deperditus certe ignotus est. Alium autem codicem ms. ab illo tempore nemo vidit. Princeps editio est Veneta operum Ovidianorum tertia, cuius prior tomus *impressus est Venetiis per Bernardinum de Novaria. M. CCCC. LXXXVI. die XIII. Ianuarii.*, posterior eodem loco et anno *die XXVII. novembris* [2]). In qua Sabini Epistolae verbotenus et nulla emendatione facta ex codice repetitae esse videntur, nisi quod fortasse

2) Nic Heinsius editionem principem anno 1485. prodiisse statuit. Scribit enim ad Epist. I. init.: 'Primas harum Epistolarum editiones, alteram Venetiis MCCCCLXXXV. alteram Parmae procusam Anno MCCCCLXXXIX. adhibendas duxi.' Atque anno 1485. Venetiis duae Epistolarum Ovidii editiones vulgatae sunt, altera *per Baptistam de Tortis die XVI. Martii* fol., altera quam *Impressit Thomas de Alexandria die X. Iunii regnante duce Ioanne Mocenigo.* fol.; sed ab utraque Sabini Epistolae absunt. Parmensis autem editio non alia est, quam quae Veneta quarta operum Ovidii vulgo dicitur. Heinsius a *Matheo Capcasa Parmense* impressore in errorem inductus est. Erravit itidem in anno editionis principis, quam ne inspexisse quidem videtur. Quas enim in undecim locis e prima editione citavit lectiones, omnes quidem in edit. Ven. 1492., quam in his cum Ven. 1489. conspirare suspicor, leguntur, sed pleraeque ab ed. Ven. 1486. lectionibus discedunt. Conf. I, 54. et 83., II, 4., 13. et 72. et III, 63.

vitia typothetarum nonnulla accesserunt. Ex hac editione deducta est Veneta quarta, quae a. **1489.** *opera Lucantonii Florentini, impensa a Matheo Capcasa Parmense accuratissime impressa* prodiit. Hunc librum non vidi, et negligentissime eo usus est Nic. Heinsius. Neque textum Sabini emendatiorem exhibet, sed ex Veneta tertia repetitum vitiis typographicis ita foedavit, ut inde nihil auxilii exspectandum esse dicant. Vid. Notit. literar. de P. Ovid. Nasone in edit. Bipont. p. LI. Ex Veneta tertia [3]) expressa est etiam quinta, quae *Venetiis per Lazarum de Sabiliano. Anno MCCCCXCII. Calendis Aprilibus* forma maxima edita est. Non distat ab illa, nisi quod vitia aliquot emendata sed plura etiam admissa sunt. In nonnullis locis tamen Sabini Epistolae emendatoris manum expertae et coniecturis mutatae sunt. Inter editiones, quae deinceps secutae sunt, primum a vulgari textu discedit Aldina, quae *Venetiis in aedibus Aldi* **1502.** in 8. impressa est. Nam non solum vitia typographica pleraque remota, sed etiam plurimi loci felicissimis coniecturis emendati sunt. Accuratior etiam est Aldina secunda (*Venetiis in aedibus Aldi et Andreae Soceri* **1515. 8.**), in qua Naugerius plura emendavit et in paucis ad editionum Venetarum textum rediit. Secundum Naugerii recensionem etiam facta est Aldina tertia (*Venetiis* **1533. 8.**), quae, praeter quod Epist. II, **81.** *piae* pro *pie* scriptum est, non nisi interpungendi signis a secunda differt. Naugerium secuti sunt omnes editores usque ad Nic. Heinsium, nisi quod Micyllus pauca novavit et Bersmannus coniecturas nonnullas in margine posuit. Heinsii aetate Swarthius et Douza temeritate et mera coniectandi libidine in Sabinum grassati sunt, qui, praeter quod audacissimis correctionibus coniecturarum numerum auxerunt,

3) Imo repetita esse videtur ex editione Veneta 1489., cuius in bibliotheca acad. Heidelbergensi servatae collationem accuratiorem propterea desidero, quod mihi suspicio est, eam non tam ex ed. Venet. 1486. quam e codice manuscripto expressam esse. Id enim probabile reddunt variae lectiones et emendationes ed. Ven. 1492. haud raro ita comparatae, ut ne editori et typothetae deberi videantur.

nullum in poetam meritum habent. Melius rem egit Nic. Heinsius, qui plura egregie emendavit. Sed aberravit in eo, quod multa, quae sana erant, mutavit, alia autem levibus emendationibus sananda audacter correxit. Graviter autem vituperandus est, quod editiones Venetas duas, quas ad manus habuit, negligentissime consuluit, et Naugerianam recensionem nimis presse secutus est. Hinc accidit, ut aliquot in locis non tam vitiosam editionis principis lectionem corrigeret, quam Aldi et Naugerii coniecturas coniecturis sollicitaret. Id quod clarius apparebit ex editione mea, cuius specimen cum commentario critico addidi [4]). Burmannus paucas Heinsii correctiones refutavit, sed plures de suo addidit. Accuratius etiam, quam ille, contulit editiones Aldinam, Bersmannianam et Plantinam, unde tamen his Epistolis non multum auxilii parari potuit. Ceterum tanta morositate et iniquitate haec carmina tractavit, ut in plurimis de sermone satis Latino et sensu commodo dubitaret, et prae ceteris sententiam de oratione horrida et scabra Sabinoque indigna foveret et commendaret. Quare Fr. Heusingero id potissimum agendum fuit, ut versus tentatos a Burmanni dubitationibus vindicaret et singula verba dictionesque satis Latinas esse exemplis comprobaret. Emendationibus suis si non ubique rem acu tetigit, non multum tamen a vero aberravit. Patris vestigia, uti par erat, pressit Conr. Heusingerus in editione sua; quamquam eum in nonnullis illi minus obedientem fuisse malim. In sex septemve locis suas etiam emendationes exhibuit. Denique Lennepius sobria et prudenti ratione his Epistolis auxilium tulit, priorum interpretum mutandi et corrigendi temerita-

4) In hac editione textum ad fidem editionum Venetarum, quae solae ex codicibus prodierunt, recensui, varias lectiones earum tam diligenter notavi, ut etiam vitia typographica adderem, virorum doctorum coniecturas collegi et interpretum dubitationes, quantum fieri potuit, refutavi. Quare in hac disputatione singulos versus, in quibus illi haeserunt, retractare nolui. Proxime haec editio lucem videbit; nunc autem primam tantum Epistolam speciminis loco addere licuit.

tem plerumque feliciter vitavit, atque fere in iis tantum locis verum non vidit, in quibus id ex editione principe, quam non habuit, solum repeti potest [5]). — Verum ut redeam, qua digressus sum: in Epistolis praeter aliquot apertas librariorum corrupteles nihil reperitur, quod ab Augusteo aevo abhorreat, aut Sabinum carminum auctorem esse redarguat. Neque orationis tenuitas et obscuritas et sententiarum languor et defectus, si qui est, huic auctori adversatur. Quare nihil obstare videtur, quo minus Ovidii testimonio et editionis principis auctoritati obedientes has Epistolas Sabino suo reddamus, adversariorumque sententias iustis argumentis non probatas sine haesitatione reiiciamus. Optandum est autem, ut mox codex ms. reperiatur, ex quo melior medicina praesentiusque auxilium, quam quod nunc habemus, his carminibus parari possit.

5) Reliqui interpretes et editores his Sabini carminibus aut parum aut nihil profuerunt. Etenim Burmanni textum repetierunt Fischerus (Lips. 1758. et 1773.), editores Bipontini (1783. et Argent. 1802.), Wernsdorfius (Helmstad. 1788. et 1802.), et Schoenbergerus (Viennae 1807.). Idem fecit Mitscherlichius in editione prima (Gottingae 1796.), ex qua fluxerunt edd. Tauchnitianae (Lips. 1812. 1815. et 1820.) et Baumgarten-Crusii (Lips. 1824.). In secunda autem nonnullas Lennepii emendationes recepit, et de suo Epist. I, 50. et II, 92. et 95. *heu mihi* pro *hei mihi* scripsit. Hunc textum verbotenus exhibet edit. Tauchn. 1825., cui Ant. Richterus, quia typothetarum plagulas correxit, nomen suum inscripsit. Amarus (in edit. Lemairii Paris. 1820.) aliquoties quidem ab Heinsio et Lennepio recessit, et editionum antiquarum lectiones revocavit; sed id fere in iis tantum locis fecit, in quibus antiqua lectio aut nullum aut ineptum sensum habet. Consilium igitur et rationem in textu mutando non adhibuit. Temere etiam aliquot locos correxit Bentleius, cuius *emendationes* in diario Anglorum classico 1819. Nr. XXXVIII. editae sunt, sed tanti viri ingenium non produnt.

A. SABINI

EPISTOLA I.

ULIXES PENELOPAE.

Pertulit ad miserum tandem tua casus Ulixen,
Penelope, chartis verba notata piis;
Agnovi caramque manum gemmasque fideles:
Solamen longis illa fuere malis.

Respondet poeta Ulixis nomine Ovidii Epistolae primae, unde in editt. Venn. 1486. et 1492. inscriptio est: *Rescriptio Ulyxis ad Penelopen.* Vulgarem inscriptionem retinui. Non multum autem interest, quid praeferas; neutra enim inscriptio a poeta profecta est.

1. Editt. ante Nic. Heinsum omnes h. l. et vs. 129.: *Ulyxem*, qui accusativus Latinae formae, si veteres editiones audiamus, praeferendus est. Eodem enim modo in edd. Venn.: *Parim*, *Phylacidem*, *Alcidem*, *Anchisem*, *Idem*, *Spartem* et alia leguntur. Sed in talibus editores morem sui aevi secuti sunt, neque libri impressi manuscriptique magnam auctoritatem habent. In his igitur vulgarem morem sequi malui; praesertim cum Sabinus Graecas formas amasse videatur [occurrunt enim *Tritonidos*, *Pallados*, *Ismaron*, *Pylon*, *Medonta* etc.], et infra vs. 74. metri caussa *Atriden* scribendum sit. Similem ob caussam etiam *Ulixen* per *i* servavi. vide quae notavi ad Ovid. Metam. XIII, 6. Ceterum Douza correxit: *Pertulit ad m. t. quis casus U. P. ch. v. n. piis?* Caussam certe nullam habuit.

3. *coramque* edd. Venn., quod defendi potest. Haud raro enim voc. *que* post secundum verbum legitur. Sed vix est dubium, quin vera sit Aldi correctio: *caramque*, cui vv. *gemmasque fideles* optime respondent. Ven. 1492.: *magnum* pro *manum*, a typotheta.

Arguis ut lentum: mallem quoque forsitan esse,
Quam tibi quaeque tuli dicere quaeque feram.
Non hoc obiecit mihi Graecia, cum mea fictus
Detinuit patrio littore vela furor,
Sed thalamis nec velle tuis nec posse carere;
Caussaque fingendae tu mihi mentis eras.
Nil tibi rescribam curas, properemque venire:

5. In particula *quoque*, quae gradationi inservit, frustra haesit Nic. Heinsius, qui coniecit: *mallem quod forsitan* etc. Bentleius suasit: *malles quoque*.

6. In structura *dicere quae tuli* nemo, qui Virgil. Georg. IV, 150. et similium locorum recordatur, haerebit. vid. Fr. Heusinger. ad Ovid. Epist. XV, 4. Neque *feram*, sive indicativus [quae futura sunt, — quae me manent] sive coniunctivus est [quae fortasse me manent, — quae me manere suspicor], a sermonis Latini legibus abhorret. Indicativus et coniunctivus coniuncti Virgil. Aen. III, 367., Propert. II, 30, 29. aliisque locis defenduntur. Male igitur Heinsius correxit: *fero*, quod Lennepius recepit, aut: *quae tulerim dicere quaeque feram*. Bentlei.: *te q. t. discere q. fero*.

7. Edd. Venn.: *hic*. Aldus recte reposuit: *hoc*.

8. Ven. 1486.: *vella*, quod in edit. 1492. recte emendatum est. Seq. vs. ed. 1486.: *talamis*. Recte autem Lennepius in fine versus minore interpunctionis signo distinxit. Vulgo punctum ponunt. De structura *Non hoc obiecit sed non v e l l e c a r e r e* vide, quae notavi ad Virgil. Ecl. VI, 71. et Georg. I, 25. De fabula, quam poeta innuit, vid. Gierig. ad Ovid. Metam. VIII, 36.

10. Verba *fingendae mentis* pro 'fingendae amentiae' recte dici posse, Burmannus negavit, et correxit: *condendae*. Temere autem Douza scripsit: *Et mihi tu falsi caussa furoris eras*, vel: *Fingendique mihi caussa furoris eras*. Sed quamquam *fingere mentem* non significat 'fingere amentiam', tamen notat 'mentem aliam ostendere atque est — mentem dissimulare.' Ulixem autem amentiam simulasse, ex vss. 7. 8. satis apparet. Eodem modo *ficto ore* occurrit Ovid. Epist. XVII, 15. Conf. Lennep. ad. h. l. Minus recte Fr. Heusingerus, quem Eichhoffius secutus est, *mentem*, mediae significationis vocem, pro 'furore' dictum esse e Virgil. Georg. III, 267. et Ovid. Metam. X, 320. collegit. Sed priore loco pro 'indole ac natura', posteriore pro 'cogitatione et consilio' dictum est; neque furoris notio umquam huic voc. inesse potest.

11. *curas* i. e. 'tibi curae est — cura tua efficere studes ut — cupis ut nil rescribam.' Similis verbi notio est in formulis *curo redire*, *te coniungere curas*, *curabo sentiat* etc. Swarthius tamen ma-

Dum propero, adversi vela tulere Noti.
Non me Troia tenet Graiis odiosa puellis,
Iam cinis et tantum flebile Troia solum;
Deiphobusque iacet, iacet Asius et iacet Hector
Et quicumque tui caussa timoris erat;

luit: *Nil tibi rescribam cur vis?* Nic. Heinsius correxit: *curae est* [quod glossam vulgatae lectionis esse dixerim] idque explicuit: 'mihi curae est'. Receperunt hanc coniecturam editores cum Burmanno omnes. Sed primum hoc miro modo dictum esset 'curo nihil rescribere' pro simplici 'nihil rescribo' vel 'nihil rescribam'; deinde Ulixes aperte respexit Penelopes mandatum Ovid. Epist. I, 2.: *Nil mihi rescribas; attamen ipse veni.*, quem locum idem Heinsius turbavit distinguendo: *Nil mihi rescribas attamen; ipse veni*, et corrigendo: *sed tamen.* Cum autem viri docti intellexissent, *attamen* etiamsi interdum secundo et tertio loco ponitur [Ovid. Epist. XI, 106., XVII, 184., Metam. X, 428., Martial. II, 7, 7.], numquam tamen in fine sententiae collocari [v. Lennep. ad illum loc.]; correxerunt Gronov. Observatt. I, 22.: *ut tamen*, Wiedeburg. Lectt. variant. in Heroidibus Ovid. ex Cod. Helmstad. excerptt. spec. I. p. VIII. et Brink. ap. Lennep.: *tu tamen*, Frid. Heusinger. [probante Kuinoelio Animadvv. Critic. in Ovid. Heroid. spec. I. p. 3.]: *ah tamen.* Sed neque hae particulae in fine sententiae collocantur [v. Werfer. in Actt. Monacenss. I, IV. p. 523.], atque totius Epistolae nexus vulgarem distinctionem, quam dedi, postulat. vid. Hand. in Diar. Ienens. 1815. ch. 15. p. 115. Neque hac interpunctione servata cum auctore Electt. Eton. *sic tamen*, aut cum Pontano in Burmanni Syllog. Epistt. Tom. III. p. 774., Grunero de Ovid. aliquot locis dissert. p. 3. et cod. Guelf. 1.: *at tamen* scribendum est. Gravem enim sententiarum oppositionem Penelope part. *attamen* indicat.

12. Ed. Ven. 1486.: *tulera*, e vitio typographico.

13. Edd. Venn. et Aldinae: *Grais*, ex vulgari, quae tunc fuit, scribendi ratione. Conf. Ovid. Epist. I, 3.

14. Venet. 1486.: *Troie.*

15. Edit. Dan. Heinsii 1647.: *iacet Asinus*, ridiculo errore. Venet. 1486.: *Deiphoebusque.*

16. Aldus scripsit: *erant*, quod Nauger., Vincent., Micyll., Bersm. et Plant. tuentur. Sed vulgatum *erat* Nic. Heinsius recte restituit. Respexit Sabinus Ovid. I, 13. sqq., et noster locus confirmat ibid. vs. 16. lectionem: *Antilochus nostri caussa timoris erat.* Haeserunt enim ibi propter vv. praecedentia *timeo* et *timoris*, unde Francius et Burmannus e coniectura *tremoris* et Auctor Electt. Eton. et Wiedeburg p. IX. e cod. Vossii, Langob. et Helmst. *doloris* praetulerunt. Sed timuit Penelope, ne Ulixes periret et interficeretur. *Dolor* igitur in his ne locum quidem habet, *tremor* autem modum excedit et cum re-

Evasi et Thracum caeso duce praelia Rheso,
In mea captivis castra revectus equis;
Tutus et e media Phrygiae Tritonidos arce
Fatalis palmae pignora capta tuli;
Nec timui commissus equo, male sedula quamvis
Clamabat vates: „Urite, Troës, equum!
Urite: mendaci celantur robore Achivi,
Et Phrygas in miseros ultima bella ferunt!"
Perdiderat tumuli supremum munus Achilles;
Sed Thetidi est humeris redditus ille meis.
Nec laudem Danai tanto renuere labori;
Erepti pretium corporis arma tuli.
Quid refert? pelago sunt obruta. Non mihi classes,
Non socii superant; omnia pontus habet.

liquis verbis non congruit. Conf. Kuinoel. p. 5. Eadem ratio est Ovid. Metam. VI, 16., ubi itidem cod. Lips. cum quatuor aliis *doloris* pro *timoris* male exhibet.

17. Conf. Ovid. Ep. I, 41. sqq. Edit. Ven. 1486.: *ceso*, ex codice, cum librarii tunc temporis ē pro ae et oe scriberent. Swarthius perperam coniecit: *Evasi, ut Thracum ceciderunt praelia Rheso*. Sensus est: 'Me non Deiphobus, Asius et Hector aut alius quisquam, quem tu timuisti, interfecit, et Thracum arma et proelia clade ipsorum et ducis effugi.' v. Heinsius ad h. l.

19. Burmannus edidit: *Tritonidis*, quod edd. seqq. occupavit. Venet. 1492.: *aroe* pro *arce*.

20. *pignora palmae* i. e. 'Palladium', quod cur *fatale* dicatur, docuit Hubertinus Crescentinas ad Ovid. Ep. I, 28., quem compilasse videntur Burmannus et Kuinoelius.

21. *male sedula* recte tuetur Lennepius, coll. Ovid. Epist. VII, 191. et Metam. X, 438. Nic. Heinsius cor.: *male credita quamquam*, quod etsi menti poetae non repugnat, uti Burmannus statuit, tamen non necessarium est.

23. Ven. 1486.: *meudaci*.

34. Nic. Heinsius cor.: *ultima tela*, haud dubie offensus plurali *bella*, qui tamen Ovid. Epist. VIII, 26. et alibi recurrit. v. Fr. Hensinger. p. 105.

25. *timuli* Ven. 1492. Achillis corpus ab Ulixe e pugna relatum esse, tradit etiam Ovid. Metam. XIII, 284. Aliter rem narrant Antisthenes et Quintus Smyrnaeus. v. Gierig. ad Metam. l. c.

Solus adhuc mecum, qui me tot casibus unus
  Duravit, patiens ad mala perstat Amor.
Illum non avidis canibus Nereia virgo
  Fregit, non tumidis torta Charybdis aquis,
Non ferus Antiphates, nec in uno corpore dissors
  Parthenope, blandis insidiosa modis;
Non quod Colchiacas Circe tentaverit herbas,

31. Nic. Heinsius male scripsit: *unum*. Nihil enim ad rem facit, quod Amor Ulixem tantum neque alios etiam comitatus est. Sed id urget, quod praeter Amorem nullum comitem habet, et Amor unus est comitum, qui mari non periit.

32. Ven. 1492.: *praestat*.

33. *Nereia virgo*. De Scylla sermonem esse, avidi canes satis demonstrant. Fuit illa Phorci et Crateidis nymphae, aut etiam Hecates, filia, et a poetis Latinis saepe confusa est cum Nisi filia, quae in Cirin avem mutata esse vulgo dicitur. vid. Heins. ad h. l. et quae notavi ad Virgil. Eclog. VI, 71. Nic. Heinsius igitur, qui *Nereiam virginem* ferre noluit, correxit *Niseia*, quod Burmannus et reliqui receperunt. Atque hanc utriusque Scyllae confusionem facile admitterem, siquidem libri in hac lectione consentirent. Difficultatem autem movet, cum coniectura lectio illata sit, neque utramque virginem a Sabino confusam esse aliunde sciamus. Quare, si quid mutandum est, desidero potius nomen a Phorco aut Crateide vel Hecate deductum. Mihi servandum esse videtur *Nereia* i. e. 'marina'. Sic enim non solum *Nereus* pro *mari* ponitur et *nereiae lymphae*, *nereiae baccae*, *nerinae aquae* et similia leguntur, sed etiam aliae deae marinae, ut Helle Stat. Achill. I, 24., *Nereides* dicuntur.

34. *timidis* Ven. 1492. Prima autem 1486.: *charibdis*.

35. *Discors Parthenope*, quod diversa et duplex eius natura ac forma in uno corpore coniuncta non congruebat, sed dissimilis erat. vid. Gierig. ad Ovid. Metam. VIII, 133. Nic. Heinsius coniecit: *dissors* i. e. 'quae diversae sortis est', quod editiones occupavit.

36. Douza coniecit: *insidiosa notis*.

37. Editt. Venetae vitiose: *Non quod Colchiachas arte tentaverit herbas*, unde Aldus, ut metrum salvum esset, fecit: *Non quod Colchiacas artes tentaverit herbis*. Aldum secuti sunt Nauger., Vincent., Micyll., Bersm., Plant. et Amarus. Utrique lectioni subiectum deest, quod ex sqq. *altera diva* vix repeti potest. Palmaria est autem Nic. Heinsii emendatio, qua *arte* in *Circe* mutavit. 'Divide, inquit, τὸ *a* in duas litteras et habebis *ci*. *Cirte* pro *Circe*.' Atque hoc nomen non solum horum versuum nexus postulat, sed etiam vs. 45. confirmat. Idem Heinsius, cum edd. Venn. non diligenter inspexisset et in iis *Col-*

Non quod sollennes altera diva toros.
Utraque se nobis mortalia demere fila
Spondebat, Stygias utraque posse vias;
Te tamen hac etiam spreta mercede petivi,
Passurus terra tot mala totque mari.
Sed tu foemineo nunc forsan nomine tacta
Non secura leges cetera verba mea,

chiacas arte t. herbis exstare putaret, correxit: *Non q. Colchiacis Circe t. herbis*, quod Burm., Lennep. et Mitscherl. ediderunt. Contra Bentlei. *Iolciacas herbas* suasit et Fr. Heusinger. coniectura *Colchiacas herbas* et *tentaverat* scribi iussit. Recepit hoc Conr. Heusing. Sed coniunctivus et ratione grammatica et exemplis recte defendi potest. vid. Ovid. Metam. VII, 705. ibique Voss. in Bothii Vindiciis p. 172. Adde Bentlei. ad Terent. Eunuch. V, 8, 34. *tentare herbas*, uti nostrum *Kräuter probiren*, est 'herbis amoris mutandi periculum facere'. Vid. Ovid. Medic. Fac. 38. Neque a Latinorum usu abhorret, quod sequenti versu hoc verbum notione *insidiandi* cogitando repetendum est. Talia enim permulta leguntur. De constructione *Illum non fregit virgo, non quod Circe* etc. vide notata ad Virgil. Ecl. VI, 71. *Altera diva* est Calypso, quae *sollennes* i. e. 'legitimos' toros tentavit. vid. Ovid. Metam. VII, 49.

40. Nic. Heinsius coniecit: *Spondebant.* Mira est autem Amari sententia, qui ad verba *Stygias utraque posse vias* notat: 'Subintelligas necesse est, *aperire* aut *secludere* vicissim. Quo quidem posito, viderint docti quid censendum de hac loquendi formula, et quatenus poetam deceat, quem aureae Latinitatis aetati libentius adscripserint. Nec adprobem magis *demere fila* in versu praecedenti'. Sed *demere fila* aeque ac *demere vincula* recte dici apparet. Neque *posse* seorsim spectandum sed *demere posse* iungendum est. vid. nott. ad Ovid. X, 132. et XI, 117. ed. Gierig. 'Utraque ea potentia se esse dicebat, ut mortalia fila [fila, quibus Parcae sortem meam mortalem esse iusserunt] et Stygias vias demere posset et (quod cogitando addendum est), si remanerem, demtura esset.' *demere vias* pro 'auferre vias, facere ut ne Stygiae viae obeundae sint' propter praecedens *demere fila*, per zeugma dictum esse videtur, cuius rei exempla dant D'Orvill. ad Charit. p. 395. et Burmann. ad Claudian. II. Consul. Stil. 6. p. 378. et ad Propert. I, 1, 24. et II, 25, 13.

44. *cetera verba mea.* Bentl. cor.: *mei.* Amarus notat: 'Ne hac nostra quidem aetate, quantumvis litterarum antiquarum incuriosa, vel ipsis tironibus condonandum istius modi hemistichion'. Cur haec dixerit non satis intelligo. Haesitne in voc. *cetera* pro 'ea quae sequuntur'? Id tamen vel tritum illud *et cetera* confirmat. An ferre noluit pentametrum in

Quaeque mihi Circe, quae sit mihi caussa Calypso,
Iamdudum ignoto sollicitere metu.
Certe ego cum Antinoum Polybumque Medontaque legi,

syllabam brevem exeuntem, cuius terminationis ab aliis quoque dubitatae innumera exempla leguntur? An denique trium verborum in ā desinentium ingratus sonus eum offendit? Id certe in caussa fuit, ut Heinsius Ovid. Epist. XIX, 63. e duobus libris scriberet: *Multaque praeterea linguae reticenda modestae*, quamquam reliqui libri, praeter Putean. et Mentel. *modeste* exhibentes, in lect. *lingua modesta* consentiunt. Sed eodem modo Propert. IV, 1, 132.: *libera sumta toga.* Quint. Smyrn. IV, 396.: *ἀμφιτετρυμμένα τύμματα πάντα.* Ovid. Metam VII, 204.: *Vivaque saxa sua convulsaque robora terra.* Metam. III, 57.: *Tristia sanguinea lambentem vulnera terra.* Conf. Epist. V, 16., Metam. IV, 109., 440., V, 572., VI, 368., VII, 421., VIII, 814., 836., IX, 127., 634., XI, 444. et quae notavi ad Met. I, 299., IV, 522. et X, 3., ad Horat. Od. IV, 6, 6. et Virgil. Aen. VI, 310. In eiusmodi minutiis veteres scriptores aut raro aut numquam haeserunt. In multis locis autem, sicut Ovid. Ep. XIX, 63., frustra etiam nostrates malum sonum quaesiverunt, quem veteres diversa syllabarum pronuntiatione vitarunt. vid. Peerlkamp. in Biblioth. Crit. Nova Tom. I. p. 103.

45. Swarthius e codice suo correxit: *cauta Calypso.* Nic. Heinsius suasit: *cura Cal.* vel: *Quaeve morae Circe, quae sit mihi caussa Calypso.* Sed facile *ἀπὸ τοῦ κοινοῦ* intelligi potest *caussa morandi*, ut Eichhoffius recte verterit: *Welch Hinderniss sey.* Atque rectius etiam Lennepius haec dicta esse putat pro vulgari: *quae sit mihi caussa* [res, necessitudo] *cum Calypso.*

47. Sic locum recte restituit Aldus. Edit. Ven. 1486.: *cum alcyonum polibumque meduntaque legi.* Ven. 1492.: *cum anthinoum polibum meduntaque.* Conf. Ovid. Epist. I, 91., ubi itidem libri in his nominibus variant, sed iam Egnatius recte restituit: *Quid tibi Pisandrum Polybumque Medontaque dirum Eurymachique avidas Antinoique manus atque alios referam.*, quod codicibus optimis comprobatur. Verum haeserunt interpp. in illo loco, cum *Medon* ab Homero Odyss. χ', 367. mitis, et ab Ovidio *dirus* dicatur. Unde Waddelus Animadvv. Crit. p. 87. correxit: *Quid tibi Pisandrum Polybumque Medontaque dicam.* Contra Mariangelus Accursius ex Homer. Od. χ', 242. et 284. emendavit: *Quid tibi Pisandrum, Polybum Amphimedontaque dirum*, cui lectioni ut ne Sabinus obstaret, Burmannus ad Propert. IV, 5, 7. suasit: *Certe ego cum Antinoum, Polybum Amphimedontaque legi.* Sed Ovidius in illa Epistola in pluribus ab Homero discedit [vid. vs. 15. 64. 100.], et vulgatam lectionem praeter Heinsium, Burmannum et Lennepium dudum vindicarunt Schroder. in Miscell. Observatt. Vol. VI. T. I. p. 105.,

Heu toto sanguis corpore nullus erat.
Tot iuvenes inter, tot vina liquentia semper -
Hei mihi, quo credam pignore? - casta manes?
Curve placent ulli, si sunt in fletibus, ora,
Deperit et lacrimis non decor iste tibi?
Pacta quoque es thalamo, nisi mendax tela moretur
Et coeptum revoces pellida semper opus.

Kuinoel. l. c. et Wiedeburg. l. c. Quare neque in Sabino quidquam mutandum esse apparet.

48. Ven. 1486.: *nullas.* Francius cor.: *In toto.* Nic. Heinsius: *Ut toto.* Sed haud raro *heu* sic sententiis interponitur et locum fere proprium in his habet. vid. I, 130., III, 38.; Ovid. Epist. I, 68. etc.

49. *liquentia*, si lectio sana est, epitheton est ornans, quod dicitur, ut Ovid. Metam. VIII, 457. *liquentes undae.* Diversa autem ratio est in Virgil. Aen. V, 238. et 776., ubi *vina liquentia* recurrunt. Hoc tamen loco facili et eleganti coniectura Barthius Adversar. XLIV, 11. scripsit: *vina licentia*, quod Swarthius et Nic. Heinsius recte probasse videntur. Editores praeter Amarum omnes in textu posuerunt. Compararunt *libera vina* Horat. Art. Poet. 85., *licentes Faunos* Stat. Theb. IV, 695., *licens Lupercus* Propert. IV, 1. etc. Conf. Burmann. ad Ovid. Art. Am. I, 569. Pro *semper* Bentlei. coniec.: *nempe.*

50. Edd. veteres: *Hei mihi quid credam? pignore casta manes*, et Bersmannus postrema verba explicat: 'cum pignore, i. e. Telemacho filio, casta manes'. Sed rectissime Barthius locum sic emendavit, ut edidimus, quod iam Swarthius, Heinsius et reliqui probarunt, nisi quod post *manes* punctum posuerunt. Sed sunt haec dubitantis et interrogantis verba.

51. Sine caussa Nic. Heinsius coniecit: *Curve places.* Male etiam Francius: *si sordent fletibus ora.* Dictionem *in fletibus esse* bene illustrat Fr. Heusinger. similibus *in armis*, *in spe*, *in luctu et squalore esse*, εἶναι ἐν θυσίαις, ἐν ποτῷ, ἐν τρυφῇ. Edit. Ven. 1486.: *sunt in fletibus ore.* sed recte Ven. 1492.

52. Ven. 1486.: *lachrymas* et *ista.*

53. Idem liber: *Pacta quoque est talamo.* Recte Ven. 1492 Nic. Heinsius correxit: *thalamos.* Sed *pactus* saepe passiva vi adhibetur, et cum dativo iungitur. vid. Epist. III, 9. et Ovid. Epist. II, 4., ubi Forcellini in Thes. L. L. *pacta* perperam a *pango* derivavit.

54. Ven. 1486.: *revocas pellida.* Ven. 1492.: *ceptum revocas pallida super opus.* Edd. Aldd. et sqq.: *coeptum revocas pallida semper.* Voc. *pellidus* nusquam legitur; sed uti *rapax* et *rapidus* in usu sunt, sic praeter *pellax*, sive hoc a *pellicere* sive ab antiquo *pellare* deducis, *pel-*

Ars pia: sed, quoties oculos frustrabere lana,
Successum toties ars dabit ista tibi?
Ah melius, Polypheme, tuo superatus in antro
Finissem ingratos ad mala tanta dies;
Threicio melius cecidissem milite victus,
Ismaron errantes cum tenuere rates;

lidus dici potuisse, certe analogia comprobat. Sin minus, cum Nic. Heinsio *callida* scribendum est, quod cum voc. *pallida* confunditur Ovid. Metam. VI, 576. *Revocas* ferri nequit, nisi forte scripseris:

Pacta quoque es thalamo, nisi mendax tela moretur.
At [vel *Sed*] *coeptum revocas pellida semper opus?*

Sed quo minus locum sic emendes, prohibent sequentia, et recte Heinsius *revoces* correxit. Huius lect. *revoces callida* cum Burm. omnes exhibuerunt. De dolo telae retextae vid. Hom. Odyss. β΄, 96. et Brouckhus. et Burmann. ad Propert. II, 7, 43.

55. Edd. Venetae ubique: *quotiens* et *totiens*, ex antiqua scribendi ratione. Laudat autem, ut recte Heinsius monuit, Ulixes artem et dolum, sed de diuturno eius successu dubitat et desperat. Quare non recte in fine distichi punctum vulgo ponunt. Sensus est: 'Ars pia est: sed totiesne ista ars tibi bene succedet, quoties oculos procorum lana, i. e. tela illa, frustrari voles ac studebis.' Offendit autem, quod poeta pro *frustrari voles* simpliciter *frustrabere* dixit. Quod quamquam quodammodo defendi potest, omnis tamen sententia mira est. Vix igitur dubito, quin cum Bersmanno scribendum sit:

Ars pia: sed quoties oculos frustrabere lana?
Successum quoties ars dabit ista tibi?

quod etiam Heinsius suasit, Conr. Heusinger. recepit et Eichhoffius versione expressit.

57. Turbavit locum Swarthius, ex cod. suo reponens: *At melius P. tuo si pransus* etc. Sed Ulixes dolens haec pronuntiat, cui rei part. *ah* proprie inservit, cum *at* potius sit cogitantis et consilium mutantis aut etiam cum indignatione rem invertentis. Neque *superatus*, pro quo Burmann. *si prensus*, Nic. Heinsius *deprensus* et Conr. Heusinger. *superestus* correxerunt, sollicitandum est. Etenim poeta non respicit, quod Polyphemus socios Ulixis aliquot devoravit, sed quod immanis ille gigas in suo antro ab Ulixe victus et eum elabi passus est. vid. Homer. Od. ι΄, 375. sqq. et 515. sq.

58. Salmasius correxit: *ac mala.* Heinsius: *ob mala.* Sed recte Lennepius: 'Iunge *finissem ad mala tanta*, ut sensus sit: tantis imminentibus, instantibus, malis, dies ante adventum eorum finissem. Sic Ovid. Ep. XXI, 45. *Coniugii tempus crudelis ad ipsum Persephone nostras pulsat acerba fores.* Conf. Burm. ad Val. Flacc. III, 48.'

Crudelemve illo satiassem' tempore Ditem,
  Quo redii Stygiis fata moratus aquis.
Vidi ubi, nequidquam quod me tua littera celat,
  Sospes digresso quae mihi mater erat.
Retulit illa domus eadem malà, meque querentem
  Fugit, ab amplexu ter resoluta meo.
Phylaciden vidi; contemtis sortibus ille
  Primus in Hectoreas intulit arma domos.
Felix laudata cum coniuge: laeta per umbras

61. Venet. 1486.: *illo — tempora.*

62. Idem liber: *Quo regii stigiis fate.* Veram lectionem exhibet Ven. 1492.

63. Edd. Venetae, Aldi 1502. et Vincent.: *littera cessat*, quod sensu caret. Palmaria est autem Naugerii correctio in edit. Ald. 1515.: *littera celat*, quod editores omnes receperunt. CAELAT autem facile in CESSAT abire potuit.

65. Delrii ad Senec. Troad. 459. coniecturam *terque querentem* recte reiecit Nic. Heinsius, qui tamen sequenti vs. suasit: *ter revoluta*, quod non magis necessarium est. Recte quidem monet, Ulixem non amplexum esse umbram maternam, sed tantum amplecti conatum. Attamen, quin eiusmodi conatus recte *amplexus* dicatur, a quo mater *resolvitur* eo, quod revolvitur et recedit, non est quod dubitemus. Loci Ovid. Metam. X, 63. et Virgil. Aen. VI, 449., quos Heinsius laudavit, nihil probant. Conf. Homer. Od λ′, 180. sqq.

67. Edd. Venetae et Micyll.: *Philacidem.* Ald. 1502. et reliquae: *Phylaciden.* Nescio autem an non opus sit cum Nic. Heinsio *Phyllaciden* scribere. Descendit enim a Φυλάκη vel, ut alii volunt, a Φυλάκῳ. vid. Lennep. ad Ovid. Epist. XIII, 35. Atque apud Ovid. Trist. V, 14, 39. *Phylaceia* et Epist. XIII, 35. *Phylaceides* prima syllaba correpta leguntur, sed eadem producta *Phylacides* recurrit Ovid. Amor. II, 6, 41., Art. Am. II, 356. et III, 17., Propert. I, 19, 17. et alibi. Frequens est autem in nominibus propriis et peregrinis haec prosodiae variatio [vide ad Ovid. Metam. VI, 11.], quam Lennepius littera liquida frustra defendit. Reperitur etiam in aliis, in quibus nulla littera liquida adest.

68. Nic. Heinsius cor.: *impulit.* Sed *intulit* defendit Ovid. Ib. 614.: *in quem intulit armatas ebria turba manus.*

69. Salmasius coniecit: *laudato cum coniuge*, ut haec verba arctissime cum sequentibus iungerentur. Sed sic *Laodamiae* nomen vix abesse posset.

Illa suum fortes it comitata virum;
Nec dum illi Lachesis dictos numeraverat annos,
Sed iuvat ante suum sic cecidisse diem.
Vidi - nec lacrimas oculi tenuere cadentes -
Deformem Atriden, hei mihi, caede nova.
Illum Troia virum non laeserat; ille furentem
Nauplion Euboicos transieratque sinus.
Quid refert? animam per vulnera mille profudit,
Iam reduci solvens debita vota Iovi.
Tyndaris has illi laeso pro foedere poenas
Struxerat, externos ipsa secuta viros.
Ah mihi quid prodest, captivas Teucridas inter
Cum staret coniux Hectoris atque soror,
Defectis Hecuben potius legisse sub annis,

70. Ven. 1486.: *Ille*. Utraque edit. 1486. et 1492. et ceterae: *forte sit*, quod Swarthius egregie in *fortes it* mutavit, quod post Heinsium omnes ediderunt. *Fortes umbrae* autem sunt manes heroum, quibus *Laodamia* se immiscuit. Salmasius correxit: *fertur sic*. Douza: *fortis it*.

71. Venet. 1486.: *numeraveret*. Nic. Heinsius suasit: *dictos perneverat annos*, mera mutandi libidine.

72. Ven. 1492.: *Sed iurat*.

74. Conf. Propert. II, 7, 21. ibique Burmann. Veneta 1486.: *cede*.

76. Ven. 1486.: *Naupilon*; sed recte ed. 1492.

77. Swarthius e codice suo, dummodo verus ille esset, attulit: *per adultera tela profudit*.

78. Ven. 1486.: *Iam te duci solvens*. Emendavit auctor ed. 1492.

79. Verissima est Nic. Heinsii emendatio: *laeso pro foedere*, quam verba *externos ipsa secuta viros* aperte postulant. Vulgo *laetas pro f. poenas*, quod Swarthius εἰρωνικῶς dictum esse putavit, et Amarus in textu retinuit. Sed iure Heinsius hoc reiecit.

80. Pro *viros* Heinsius maluit: *toros*, quod Burmannus bene reiecit. Conf. Propert. II, 25, 8., ex quo Sabinum sua hausisse ibi Burmannus monuit.

81. Micyllus correxit: *At mihi*, quod non opus est. Edit. Ven. 1486.: *captas teucridas iter*. Utrumque emendavit Ven. 1492.

82. Heinsius maluit: *starent*.

83. Aldus edidit: *Hecubam*, quod secundum Bothium Vindiciis Ovid. p. 136., qui *Hecuben* formam aut Graecam aut Latinam esse negavit, verum est. Conf. Conr. Schneiderus Grammat. Lat. Vol. II.

Ne tibi suspectus pellicis esset amor?
Prima meis omen metuendum puppibus illa
Fecit: non membris ipsa reperta suis
Latratu miseras finivit moesta querelas,
Et stetit in rabidam protinus acta canem.
Prodigio tali placidum Thetis abstulit aequor,
Aeolus infusis incubuitque Notis.

Tom. I. p. 29. Sed quamquam Graeca forma *Hecabe* erat, Latini tamen suum *Hecuba* Graeca terminatione in *Hecube* mutarunt. Pro *potius* in edit. Ven. 1492. *potui* legitur, quod vitium etiam edd. Aldi 1502., Vincent., Micyll., Bersm. et Plant. occupavit. Heinsius cor.: *effoetis annis.* Editt. Bersmanni: *sub armis.*

84. Margo Bersm.: *Nec tibi.* Ven. 1486.: *suspectis pellici.* Recte Ven. 1492.

85. Ven. 1492.: *omnem* pro *omen.*

86. Verba *non membris suis reperta* Latina esse Burmannus negavit et correxit: *non membris usa repente suis* vel: *Fecit anus membris lapsa* (vel *cassa*) *repente suis.* Nic. Heinsius suasit: *Fecit anus membris orba reperta suis.* Bentlei.: *non m. visa* (vel *usa*) *repente.* Withofius in Spec. Gunth. p. 143. maluit: *prima reperta.* Sed recte vulgatam lectionem vindicarunt Frid. Heusinger. et Lennep. Hecuba enim reperta est non suis sed alienis membris. Heusinger. monet: 'Equidem crediderim, poetam a nemine reprehendi merito posse, qui dixerit, Hecuben, quae subito in canem mutata sit, *non suis membris repertam esse.* Pronomen *ipsa* vero mihi adeo non displicet, ut singularem eius suavitatem sentire videar. *Non ipsam suis membris repertam esse Hecuben* interpretor, id, quod repererint, fuisse Hecuben, cui Hecube (i. e. forma Hecubae) fuerit ademta. Saepe autem veteres, quum animum, virtutes, vitia, dignitatem, statum, etiam formam ac speciem hominis dicere vellent, *hominem ipsum* dicebant.' Conf. Eichhoff. ad h. l.

87. Ven. 1486.: *Latratum*, quod supinum esset. 'Finivit querelas, ut latraret — ut pro iis latratum ederet.' Latini enim supina etiam iis verbis addunt, quibus movendi notio non inest. Plaut. Aul. III, 3, 9.: *coctum ego non vapulatum conductus fui.* Sallust. histor. III.: *non ego vos ultum iniurias hortor.* Nepos Hannib. 6.: *patriam defensum revocatus.* Conf. Horat. Epist. I, 2, 31. et Virgil. Aen. IX, 241. Sed hoc loco lectio *latratum* nimis arguta et ambigua esse videtur; unde Aldus et reliqui cum Ven. 1492. *Latratu* recte ediderunt.

89. Ven. 1486.: *equor.*

90. Edd. Venetae: *Solus infusis*, quod Aldus recte in *Aeolus inf.* mutavit. Heinsius suasit: *effusis.* Sine caussa.

Pervagus hinc toto non felix differor orbe,
Et, quacumque vocat fluctus et aura, feror.
Sed si Tiresias tam laeti providus augur,
Quam verax vates in mala nostra fuit;
Et terra et pelago, quidquid mihi triste canebat,
Emensus, fato iam meliore vagor.
Iam mihi nescio quo comitem se in littore iungit
Pallas et hospitibus per loca tuta trahit,
Nunc primum Pallas versae post funera Troiae
Visa mihi: medium temporis ira tulit.
Quidquid Oilides commiserat, omnibus unus
Peccavit; Danais omnibus ira nocens.

91. Margo Bersmanni: *totum non f. d. orbe.* Burmannus errat, ex Marg. Bersm. citans: *Pervagus hoc totum enim felix.*

92. Edd. vett. omnes: *quacumque.* Heinsius *quocumque* edidit, quod editores recte praetulisse videntur. Idem Heinsius maluit: *vocant,* quod Lennep. et Mitsch. receperunt.

93. Edd. Venetae: *tyresias.* Prima 1486. etiam: *lethi,* secunda 1492.: *lehti,* Ald. 1502.: *leti.* Naugerius in Ald. 1515. recte emendavit: *laeti.* Sic Vincent. et reliquae editt.

96. *fato i. meliore vagor.* Sic ed. Ven. 1492. et quae secutae sunt omnes, praeter quod in Ald. 1515. et 1533. *fatu* legitur. Sed Ven. 1486.: *fatis iam melioris augur,* unde corrigere possis: *fati iam melioris agor.*

98. Ven. 1486.: *thrait* pro *trahit.* Ceterum vv. *Nunc primum Pallas — Visa mihi* ex sollenni ratione addita latiori descriptioni inserviunt. Delevi igitur punctum, quod vulgo post *trahit* legitur.

99. Ven. 1492.: *versae potest funera.* Ven. 1486.: *post funere.*

100. Ven. 1486.: *temporis rea tulit.*

101. Edd. Venetae: *Quicquid et Oenides commiseras* (Ven. 1492.: *commiserat*) *omnibus unus Peccavi* etc., quae sensu et ratione carent. Cum Ven. 1492. consentit Ald. 1502. Accedunt edd. Micylli et Bersmanni, nisi quod *peccavit* tuentur. Recte autem locum emendavit Naugerius in Ald. 1515. et 1533.: *Quicquid Oilides commiserat, omnib. u. peccavit,* quod Vincent. et reliquae editt. retinuerunt. Sermo est enim de Aiace Oilei filio. *Oenides* haud dubie ex seq. *Tydide* ortum est.

102. Nic. Heinsius cor.: *omnibus ille nocens,* quo omnem loci vim infregit. Bentlei.: *illa.* Sensus est: 'Aiacis facinus, quod unus commisit, ad omnes Graecos translatum est, et Palladis odium omnibus, nullo, ne Tydide quidem, excepto, nocuit.'

Nec te, Tydide, cuius modo foverat arma,
Eximit; errato tu quoque ab orbe venis;
Non Telamone satum capta de coniuge Teucrum;
Non ipsum, pro quo mille fuere rates.
Felix Plisthenide, quacumque in sorte fuisti,
Coniuge cum cara non gravis illa fuit:
Seu venti fecere moras sive aequora vobis,
Ad nulla est vester damna retentus amor;
Oscula nec venti certe tenuere nec undae,
Promtaque in amplexus brachia semper erant.
Sic utinam errarem: faceres tu mollia, coniux,
Aequora; te socia nil mihi triste foret.
Nunc quoque Telemacho tecum mihi sospite lecto
Omnia sunt animo iam leviora mala.
Quem tamen infestas rursus queror ire per undas

103. Edd. Venetae et Ald. 1502.: *tytide.* Ven. 1492. etiam *te* omisit. Correxit haec Naugerius. Edd. vett. omnes: *noverat*, quod Nic. Heinsius iure in *foverat* mutavit.

105. Ven. 1486.: *tecrum.* Utraque: *thelamone.*

106. Swarthius: *prae quo.*

107. Edd. Venetae, Aldinae et Vincent.: *Plistenides.* Micyll. et Bersm.: *Plisthenides.* Nic. Heinsius correxit: *Plisthenide.* Ven. 1486.: *quecumque.*

109. Ven. 1486.: *equora.* Ven. 1492.: *aequara.*

111. Pro *certe*, quod h. l. necessarium est, Heinsius perperam scripsit: *certi.*

112. Aldus in ed. 1502. emendavit: *in amplexus,* quod omnes receperunt. Sed edd. Venetae: *in amplexu.* Quamquam autem *brachia in amplexu esse* recte dici possunt [vide ad vs. 51.]; sic tamen voc. *promta* nude et absolute positum offendit; quare cum ceteris interpp. Aldi emendationem retinui.

113. Ven. 1486.: *errare* et seq. versu: *equora* et *nisi mihi.*

115. Ven. 1486.: *thelamacho.* 1492.: *thelemacho.* Pro *tecto* autem, quod edd. vett. omnes tuentur, Livineius ad Propert. IV, 4. et Swarthius *lecto* optime reposuerunt. Seq. vs. Bentlei. *nece* pro *mala* suasit.

117. Ven. 1486.: *Quam tamen.* Insignis est autem Burmanni error, qui, cum *rursus* ad *ire* retulisset, notavit: 'An bis navigavit?

Herculeam Sparten Nestoreamque Pylon.
Ingrata est pietas, cui tanta pericula subsunt;
Nam male commissus fluctibus ipse fuit.
Sed labor in fine est: occursum in littore vates
Dixit. — In amplexus, care, ferere tuos.

iussum vel *missum* opinor. a matre videlicet. ut ad illa respiciat Epistolae Penelopes:

Omnia namque tuo senior te quaerere misso
Retulerat nato Nestor.'

Eo abductus Fr. Heusingerus *infesto cursu queror* emendavit. Conr. Heusinger. *infestos cursus* edidit. Summa autem fuit Amari negligentia, qui Burmanni sententia repetita male omisit Lennepii verba. Rectissime enim ille: 'Iunge, non *rursus ire*, quod Burmanno fraudi fuit, sed *rursus queror:* et sic apte respondebit proxime praecedenti disticho.'

118. Ven. 1486.: *spartem nestoriamque.* Bentl. cor.: *Tyndaream.*

119. Idem liber: *supsunt.*

120. *Nam* caussam, cur pietas ingrata sit, indicat. Heinsius cor.: *Iam*, quod vehementer languet. Sensus enim esset: 'Ingrata quidem est pietas; sed iam commissus fuit fluctibus — iam sospes evasit.' Recepit tamen hanc emendationem Conr. Heusinger.

122. Pro *cara* edit. Ven. 1492.: *charce.* Ceterum haec verba: *in amplexus — tuos*, quae omnes editt. ante Lennep. exhibent, difficultatem habent. Sive enim haec vatis verba, quibus Ulixem compellaverit, esse dicis, obstat, quod *occursum* necessario ad *dixit* pertinet, et hoc verbum obiectum, quod dicunt, suum habet. Sive his verbis Telemachum a patre compellari putas, offendunt verba sequentia, quae ad Penelopen dicta esse Lennepius monuit. Ille igitur correxit: *in amplexus, cara, ferarque tuos.* Videtur enim ridiculum esse, si Ulixes soli Telemacho noscendus venire velit, et tamen Penelopae haec scripserit. Sed videtur tantum. Poeta enim in his presse Homerum secutus est, et Ulixem in virorum coetu (Penelopen enim in interiore domus parte versantem ab his seiunctam esse innuit) soli Telemacho notum futurum esse indicat. Nexus igitur est: 'Vates Tiresias dixit occursum filii in littore. Tu igitur, care fili, me vises; tibi soli noscendus veniam' etc. Ad Penelopen autem versu ultimo demum se convertit. *Amplexus tui* autem sunt, quos tu, fili, expetis quique tibi debentur. Bene haec vidit Eichhoffius, qui in versione vernacula omnia recte expressit. Nihil igitur mutandum est, et abrupta oratio Ulixi laetanti et gaudio exsultanti bene convenire videtur.

Noscendus soli veniam tibi: tu preme sollers
 Laetitiam, et tacito gaudia conde sinu.
Non vi certandum, nec aperta in bella ruendum.
 Sic cecinit laurus ille monere suas.
Forsitan ante dapes interque vacantia vina
 Ultoris pharetris utile tempus erit;
Et modo despectum subito mirentur Ulixen.
 Hic, precor, ut properet ille venire dies,

123. Edd. Venetae: *Nascendus.* Aldus recte fecit: *Noscendus,* quod edd. sqq. tuentur.

127. Haeserunt interpretes in *vinis vacantibus.* Nic. Heinsius coniecit: *vocantia* i. e. 'ad ultionem invitantia'. Gebhard. Antiq. Lectt. II, 15. maluit: *bacchantia.* Praeterea Burmannus non vidit, quomodo *ante dapes* et *inter vina* coniungi possent, cum veteres nisi dapibus et mensis remotis vina non apposuerint. Correxit igitur: *interve,* aut etiam: *Forsitan ante lares interque fragrantia vina,* quod Burmannus Secundus ad Propert. III, 10, 35. probavit. Sed recte Lennepius haec omnia reiecit. Poeta enim non Romanorum coenandi morem sed Homer. Odyss. χ', 9. et 20. sq. respexit. *Vacantia vina* autem esse, quibus vacuae et otiosae mentes teneantur, Heinsius ad vs. 49. bene monuit. Minus recte alii. Burmannus enim et Eichhoffius explicant: 'metu carentia et securitatem parantia'. Wernsdorf. ad Septimii Sereni Moretum 57.: 'vina apposita et parata ad bibendum', coll. Lucan. V, 327. Forcellini in Thes. L. L.: 'vina parata quidem, sed nondum in mensam illata.'

130. 131. Edd. Venetae: *Hic* et *renoves*; prior 1486. etiam: *properes* et *qui letus.* Aldus scripsit: *Heu pr. u. properet i. v. d. A. renovet* etc., quod ab omnibus servatum est, praeter quod in ed. Vincent. *removet* e vitio typographico legitur. Nic. Heinsius suasit: *Hic pr. hic properes velle v. d.* Burm.: *Heu pr. heu properes ille v. d. A. renoves.* Francius: *Quam* (vel *hic*) *pr. ut properet velle v. d.* Lennepius: *Heu p. ut properans ille v. d. A. renovet tibi laetus* (vel *laetus tibi*) *foedera lecti, Et tandem* etc. Sed formae *properes* et *renoves* ex seq. *incipias* ortae esse videntur; certe propter illud offensioni sunt. Quamobrem cum Aldo *properet* et *renovet* scripsi. Recte autem *hic ille dies* i. e. 'hic dies, qui ille est, quem vss. 127.—129. poeta descripsit.' Exempla dabunt Wunderlich. et Bach. ad Tibull. I, 3, 93., qui tamen in interpretatione horum pronominum aberrarunt. Particula *heu* hoc loco quippe in re laeta vix admitti potest. Sed offendit quod pron. *hic* et *ille* pluribus verbis interpositis disiuncta sunt. Quare for-

Antiqui renovet qui laetus foedera lecti;
 Et tandem incipias coniuge, cara, frui.

tasse pro *hic* scribendum est *huc*, ut *huc venire* pro advenire dictum sit.

132. Frustra correxerunt Heinsius: *Quo tandem*, Francius: *ut tandem* et Marklandus ad Stat. p. 252.: *certa frui.*

THESES.

Fabulae Indorum, Iudaeorum et Graecorum de diluvio quodam antiquissimo ex communi fonte fluxerunt.

P. Ovidii Nasonis Fastorum libri sex posteriores non perierunt, sed numquam scripti exstiterunt.

Cornelii Nepotis vitae excellentium imperatorum ab Aemilio Probo scribi non potuerunt, quamquam ab eo ad compendium redactae esse videntur.

Cassius Etruscus idem est ac Cassius Parmensis.

Nasidienus, quem Horatius Sat. II, 8. commemorat, non est Salvidienus Rufus.

Iter Maecenatis Brundusinum, quod Horatius Sat. I, 5. descripsit, neque anno U. c. 714. neque 717., sed a 716. factum est.

Aegyptus ab India Orientali neque incolas, neque sacra, neque cultum accepit.